DE

CODICIBUS TIBULLIANIS CAPITA TRIA.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM FRIBURGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ROBERTUS LEONHARD

MONACHII
THEODOR ACKERMANN
BIBLIOPOLA AULAE REGIAE.
MDCCCLXXXII.

DE CODICIBUS TIBULLIANIS CAPITA TRIA.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM FRIBURGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ROBERTUS LEONHARD.

MONACHII

THEODOR ACKERMANN

BIBLIOPOLA AULAE REGIAE.

MDCCCLXXXII.

Akademische Buchdruckerei von F. Straub in München.

CONRADO BURSIANO

PRAECEPTORI CARISSIMO.

S.

Extat in bibliotheca universitatis Monacensis codex quidam membranaceus, formae oblongae, saeculo ut videtur XV exaratus, qui praeter Propertii monobiblon Sapphusque epistolam quae Ovidii nomine circumfertur, carmina quoque continet Tibulliana; est nitide scriptus, titulis argumentisque singulorum poëmatum a rubricatore instructus, multifariam et in ipso verborum contextu et in margine paginarum compluribus manibus correctus.

Tibulli elegiae quamquam in eosdem libellos atque in ceteris codicibus recentioribus distributae, tamen continuis numeris singulae insignitae sunt ita ut postremum voluminis carmen, quod vulgo IV, 14 inscribitur, hunc prae se ferat titulum: Elegia XXXVII, de infamia suae puellae tetrasticon. Post quod carmen exaratum est „Epitaphium Ovidii in Tibullum", i. e. Domitii Marsi epigramma, et „Tibulli poetae vita", desunt duo illa Priapea quae Scaliger ex Cuiacii fragmento carminibus Tibullianis adiecit. Hunc librum Monacensem cum nemo antea excussisset, equidem in tanta bonorum Tibulli codicum inopia examinandum suscepi, sed mox accuratiore lectionum comparatione, quamquam multa sibi habet propria, tamen in poematis Tibullianis restituendis nullum emolumentum ex eo posse sperari intellexi, quippe qui et gravissimis librarii erroribus scateat et maxime omnium hominum doctorum saeculi XV commentis sit inquinatus.

Sed quandoquidem in hanc de codicibus Tibullianis quaestionem incideram, cum recentissimam Albii editionem plane novis rei criticae subsidiis confectam multis locis gravissime a Lachmanniana viderem discrepare, accuratius utriusque fundamenta examinare atque comparare constitui, ut quoad eius facere possem, certis argumentis diiudicarem, utrum recte Aemilius Baehrensius in editione sua elegiarum de codicum auctoritate censuerit, an hodie quoque in carminibus Tibulli restituendis Caroli Lachmanni instrumento critico niti debeamus, quam

quaestionem temptandam Conradus Bursianus praeceptor meus sedulo mihi commendavit.

Lachmannus igitur cum a. 1829 primus Tibulli libellum iusto apparatu critico instructum ederet, ex multo maiore quod ei praesto erat, instrumento codices saeculi XV selegit quinque qui ipsi fidissima poetae emendandi praesidia videbantur. Quorum primus quem ut omnium optimum littera A notavit, Eboracensis a. 1425 exaratus, a Nicolao Heinsio ut viro docto saeculi XVII non ita diligenter erat excussus. Alter Parisinus regius n° 7909 chartaceus anni 1423, quem littera B insignivit Lachmannus, Eboracensem prope aequare visus est auctoritate. Reliqui tres, Wittianus membranaceus, a Lachmanno littera c notatus, Datianus d et Askewianus e uterque chartaceus aspectuque foedus altera demum saeculi XV parte scripti sunt: quorum consensui cum magnam Lachmannus tribueret auctoritatem, in singulis tamen nihil fidei inesse statuit. Praeter hos codices integros, sed recentioris aetatis alia quoque antiquiora rei criticae subsidia adhibuit, quae ad singulas tantum libelli Tibulliani partes spectant. In quibus maxime elucet fragmentum illud pervetustum atque ut videtur emendatissimum, quod Jos. Scaliger Jac. Cuiacio acceptum debebat: haec membrana optima inde a Lygdami elegiae IV versu 65 incipiens duo quoque Priapea, quae in ceteris codicibus non extant, complexa esse traditur. — Praeterea Lachmannus ad Tibulli versus emendandos usus est excerptis quae Vincentius Bellovacensis circa a. 1250 in speculo suo doctrinali passim attulit, idemque varias lectiones quas Scaliger ex eclogarum codice quodam vetere margini editionis Plantinianae a. 1569 emissae ascripserat, ex ipsius viri doctissimi castigationibus et Heinsii adnotationibus in apparatum criticum assumpsit. — Postremo etiam eas quas Franciscus Puccius a. 1502 exemplari editionis Regiensis adiecerat lectionum varietates diligenter adnotavit, cum intellegere sibi videretur virum illum doctum antiquiore quam nostri libri sunt, codice Tibulliano usum esse.

Post Lachmannum autem nova Tibulli emendandi subsidia nacti sumus, primum excerpta Frisingensia [1]) in codice nunc Monacensi n° 6292 extantia, saeculi XI, quamquam satis exigua,

1) Frisingensia excerpta Tibulli primus in lucem edidit et tractavit Lucianus Muellerus in Fleckeiseni annal. vol. 99, pg. 63—77, et in editionis suae Tibullianae praef. pg. VIII sqq.

tamen propter nonnullas lectiones egregias maximi facienda; tum florilegia Parisina in duobus bibliothecae publicae codicibus 17903 (Notre-Dame 188) saeculi XIII et 7647 saeculi XII vel XIII extantia, quorum alterum Eduardus Woelfflinus in Philologi Gottingensis vol. XXVII pg. 152—157 excussit, alterum Gust. Meynckius in dissertatione Musei Rhenani vol. XXV pg. 363—392 diligentissime typis repraesentandum curavit.

Nuper vero Aemilius Baehrensius in editione sua carminum Tibullianorum a. 1878 Lipsiae emissa prorsus aliis eisque ut videtur vetustioribus quam Lachmannus codicibus integris usus est, quorum de praestantia in prolegomenis editionis pluribus disseruit. Codex Ambrosianus R. 26 sup. membranaceus (A Baehrensi) circa a. 1374, Vaticanus 3270 chartaceus V[1]) saeculo XIV exeunte potius quam ineunte XV exarati videntur; Guelferbytanum G[2]) autem (Ms. Aug. 82, 6) membranaceum etsi circa a. 1425 exaratum, tamen parente multo quam Lachmanni codices sunt, antiquiore ortum esse, ex scriptura langobardica quam librarius artificiose imitatus est, Baehrensius colligere posse sibi est visus. Ex Lachmanni apparatu critico nihil nisi fragmentum illud Cuiacianum assumendum esse duxit.

His rei criticae subsidiis quaenam auctoritas tribuenda sit, ut intellegamus, a vetustissimis purissimisque carminum Tibullianorum fontibus nobis erit proficiscendum; tum quid in libris recentioribus fidei insit aut ponderis, facilius poterimus cognoscere singulosque examinare. Primo igitur capite de fragmento Cuiaciano excerptisque Tibullianis disputabimus; altero codices Baehrensi Ambrosianus et Vaticanus cum Lachmanni libris integris comparabuntur; tertio denique loco, id quod est gravissimum, Guelferbytani G pretium constituere conabimur.

1) Hic codex iam antea a Jano Broukhusio adhibitus esse videtur, cfr. Heyni praefat. Tib. pg. XXIII: „unum Fulvii Ursini e bibliotheca Vaticana ab Heinsio paratum acceperat.“

2) cfr. F. A. Eberti Bibliothecae Guelferbytanae codices graeci et latini classici, Lipsiae 1827 pg. 165, n° 876, cuius codicis lectiones iam Heynius passim attulerat.

CAPUT PRIMUM.

De vetustioribus carminum Tibullianorum fontibus.

I. De fragmento Cuiaciano.

Fragmentum hoc pervetustum quod hodie periisse dolemus, J. J. Scaliger cum exemplari quodam editionis Plantinianae ita contulit ut graviores tantummodo lectionum varietates in margine ascriberet litterisque CC significaret. Quam collationem Lachmannus ex Scaligeri solum castigationibus Heinsiique excerptis cognoverat, nobis ipsam ad carmina emendanda adhibere licet; extat enim exemplar illud Scaligeranum in bibliotheca academiae Lugduno-Batavae inter libros Lipsii n° 59 [1]), ut de fragmenti illius scripturis paulo certiora quam Lachmanno contigit, scire possimus.

Cuiaciani praestantia, qua longe superat reliquorum librorum archetypum, totiens apparet, ut argumenta dilatare plane sit supervacaneum. Paucas has lectiones quae neque ab alio libro praebentur neque ex codicum scripturis coniectura quamvis ingeniosa potuerunt restitui, ut omnis dubitatio removeatur, afferre satis erit [2]).

III, 4, 79 sq. fragmentum F praebet:

Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse:
Felix hoc alium desine velle virum,

quam lectionem etsi in interpretatione inter se dissentiunt viri docti, omnes tamen veram germanamque iudicant; libri nostri: Felix ac e. q. s.

---

1) Disputarunt de hoc libro Heinsiique testimoniis C. M. Franckenius (verslagen en mededeelingen der koninglijke akademie van wetenschapen X p. 33 sqq.) et Eduardus Hillerus (in musei Rhen. vol. XXIX pg. 97 sqq.

2) Pluribus de his locis disputavit M. Rothsteinius in libello suo de Tibulli codicibus, Berolini a. 1880 emisso, quem tunc demum, cum iam hanc dissertationem summo philosophorum Friburgensium ordini examinandam subieceram, mihi in manus pervenisse doleo.

III, 4, 89 F solus exhibet:

Scyllaque virgineam canibus succincta figuram,

ceteri omnes: „submixta“ vel „submista“ aperta interpolatione tradunt.

III, 6, 23 F scribit:

Quales his poenas qualis quantusque minetur,

de qua lectione quamvis frigida et inani, in Lygdami versu dubitare non licebit; ceteri codices: Quales his poenas deus hic quantumque (vel: quaecumque) minetur.

IV, 6, 62 F praebet:

Tu puer i, liquidum fortius adde merum,

optime ut videtur, pro eo quod in ceteris exaratum est: Tu puer et liquidum e. q. s.

IV, 1, 39 in F scribitur:

Nam quis te maiora gerit castrisve (?) forove,

ceteri exhibent: „Nam quique tibi“, „Quisque tibi“, „Quis tibi nam“, alia contra sensum aut versus metrum.

IV, 1, 55: F: lothos, ceteri: ciclops.

IV, 1, 70 sq. in fragmento extat:

Illum inter geminae nantem confinia mortis
Nec Scyllae saevo conterruit impetus ore,

reliqui omnes prave exhibent „Illum tergeminae“ et „orbe“.

IV, 1, 142 versus emendandi F certe ansam praebet optimam; hoc enim in eo extat exaratum:

Ardet arectais aut unda perhospita campis,

ceteri contra libri gravissimam tradunt interpolationem:

Creteis ardet aut unda caristia campis.

IV, 1, 185 F: fecundas ad deficientia messis, ceteri: fecundis indeficientia mensis.

IV, 1, 200 F: vincere, ceteri: mittere.

IV, 1, 205 F exhibet:

Seu matura dies celerem properat mihi mortem,

ceterorum scriptura „dies fato properat“ ex glossemate vocis quae est dies, orta videtur.

IV, 3, 3 F: proelia, ceteri: pectora vel pectore.

IV, 6, 7 F praebet:

At tu, sancta, fave neu quis divellat amantes,

ceteri: „ne nos divellat“, quin etiam „neu id“.

IV, 7, 5 sq. in F sic traduntur:

Mea gaudia narret,
Dicetur si quis non habuisse sua,

ceteri codices exhibent „suam“, quae lectio quam inepta sit, inde apparet, quod hoc carmine loquens fingitur Sulpicia.

IV, 9, 2 in libris nostris traditur:

Natali Romae non sinet (vel „sinit“) esse tuo,

quam lectionem mero errore ex ultimo carminis antecedentis versu:

Arbitrio quoniam non sinis esse meo

huc translatam esse apparet. F pro „non sinet“ optime praebet „iam licet“. Sed ne in hac quidem membrana optima totus versus intactus tradi mihi videtur. Nam Sulpiciae epistolia IV, 8 et 9 non de Cerinthi, sed de ipsius puellae die natali scripta esse existimo[1]). Neque enim de amici die illud „Invisus natalis“ in v. 8, 1 usurpatum videtur a puella amantissima, optime autem in ipsius natalem quadrat, quem Messala nimium Sulpiciae studiosus (v. 8, 5) in villa sua Arretina celebrare cogitabat. Quodsi v. 9, 2 „tuo“ illud in „meo“ commutaverimus, ne versus sequentes quidem, 3 et 4, quos Baehrensius frustra emendare conatus est, ullam iam habebunt offensionem.

His exemplis quae aliis etiam possunt augeri, paucas lectiones ex altero Priapeorum Tibullianorum (inter Priapea 83) excerptas adiciam, ut quanto fragmenti F scripturae in hac quoque parte ceteris libris Bruxellensi, Harleiano, Monacensibus anteponendae sint, possit intellegi.

Priap. 83, 9 F unus exhibet:

At, o tripalle, saepe floribus novis,

ceteri ex v. 6 „priape“ repetierunt.

v. 16 F: pallidus situ, ceteri: „callidus situ“ vel „semper squalidus“.

v. 17 sq. F unus recte praebet:

Canisque saeva susque ligneo tibi
Lutosus adfricabit oblitum latus,

ceteri omnes foedissime interpolati varias exhibent lectiones: „Canisve sevus lutosus adfricabit oblitum latus“ vel „Canis saevus usque mingere aut tibi Fricabit obliquum latus aper lutosus“ vel etiam „Canisve sevus fabricabit oblitum latus“.

v. 28 codex F solus exhibet, ceteri omittunt.

v. 42 in F exaratum est:

Rigente nervus excubet lubidine,

---

1) Confer IV, 6, quod carmen de eodem puellae natali compositum est.

optime ut ne Baehrensi quidem coniectura „Vigente“ mihi videatur necessaria; ceteri tradunt: Repente nervos excitet libidine.

v. 44 F: cesset, ceteri: possit.

In tanta igitur codicis Cuiaciani praestantia ne iis quidem locis quibus ceteri libri aeque apta atque ille praebent[1]), quid sit iudicandum, dubitare licebit. Quamquam non deesse versus, quibus F et ipse corruptus interpolatusque sit ideoque reliquorum codicum archetypus maiorem mereatur fidem, cum alii tum Aemilius Baehrensius in libello suo, cui inscriptum est Tibullische blätter, pg. 63 sq. suo iure monet. Librarius enim cum exempli gratia in v. IV, 1, 2 verbum terrendi cum particula „ut“ coniunctum intellegere non posset, vocem quae est „valeant“, in „nequeant“ illud falso commutavit. Hanc scripturam ut una cum Lachmanno, qui vir doctissimus particulam „ut“ concedentis esse iudicavit, veram germanamque ducamus, ideo adduci non possumus, quod et coniunctiones „quamquam“ et „ut“ eiusdem significationis particulas in eodem enuntiato una adhiberi ne apud panegyrici quidem poetam veri simile est, neque bene perspicitur quemadmodum lectio illa „valeant“ pro hac faciliore intellectu „nequeant“ potuerit irrepere. Similiter a codicis F librario peccatum esse videtur in v. III, 4, 66; nam etiamsi Cuiaciani lectio:

Saevus amor docuit verbera saeva pati

nullam habet offensionem, tamen exquisitius illud dicendi genus Lygdamique proprium[2]): „verbera posse pati“, quod in nostris libris invenimus, illi videtur praeferendum. Atque etiam in v. IV, 5, 10 ab Italis emendato:

Si modo, cum de me cogitat, ille calet

fragmenti F librarius codicis archetypi lectionem, quam ceteri tradiderunt „valet“, ut sententiae succurreret, prave in „volet“ commutasse videtur[3]).

Neque tamen tam saepe in Cuiaciano interpolatione peccatum esse, quam Baehrensius censet, mihi persuadere potui. Perlustremus modo varias has lectiones:

IV, 1, 189 F: ante actos, ceteri: accitos vel accitus. Lectio, quae est:

---

1) Velut IV, 1, 78 F: erroris, ceteri: errorum, IV, 1, 161: F: igitur (g^1), ceteri: ceteri: ergo (g^o).

2) Confer III, 3, 32 et 6, 44.

3) De versu III, 6, 44, ut mihi quidem videtur, optime disputavit M. Rothsteinius pg. 8 sqq.

Nam cura novatur,

Cum memor ante actos semper dolor admonet annos,

neque languidius ieiuniusque dicta est, quam pro panegyrici auctoris ingenio, et scriptura „accitos“ facile ex vocabulo „actos“ potuit corrigi, ita ut ultro subeat suspicari, particulam „ante“ in codice quodam ante vocem „actos“ excidisse posteaque hanc metri causa in „accitos“ illud esse transformatam.

IV, 1, 210 F: Quandocunque, ceteri: In quemcunque hominem me longa receperit aetas. Ne hoc quidem loco fragmenti scripturam iure a panegyrici auctore abiudicari existimo. Quod enim Baehrensius l. l. in Cuiaciani scriptura sese offendere dicit, id nescio an excusari possit. Longa certe illa aetas, quam poeta autumat, item atque alias „longum aevum“ vel in versu undecimo huius carminis „longior aetas“ de temporibus futuris tantum, de aetate remotiore usurpata esse videtur, neque in hac versione: „Wann immer die ferne zukunft mir wieder menschengestalt verleihen wird“ quidquam poteris offendere. Baehrensi coniecturam „Seu“ ideo reiciendam esse censeo, quod cum in antecedentibus versibus 207—209 tempus futurum extet (Seu-finget, Sive-vehar), hoc versu futurum exactum revertitur. Magis placet quod idem vir doctus proposuit „Cum“ vel „Ut“; sed mutatione omnino opus non est.

IV, 1, 55 F: lothos captos, ceteri: cyclops tempus. Editores scribunt:

Nec valuit lotos coeptos avertere cursus.

Sed vox quae est „captos“ optime in viros loti μελιηδεῖ καρπῷ retentos[1]) quadrare videtur, ut eam in vetustissimo codice exaratam sine causa abicere non ausim; cur non hanc scripturam potius recipimus:

„Nec valuit lotos captos avertere cursu“?

IV, 1, 175 F: ierint, ceteri: poscent. Lachmanni coniectura „cierint“ non magis necessaria videtur quam Scaligeri „per claros ierint“. Optime enim fragmenti lectio cum ceteris versus verbis congruit:

Ergo, ubi praeclaros ierint tua facta triumphos;

nam sicut dicunt „pompam vel exequias ire“, ita certe autumari potest: „facta tua triumphos eunt“. Scaligeri autem coniecturam quamquam primo obtutu bellam tamen eo vetamur recipere, quod per triumphum ire idem esse videtur atque per

1) Od. IX, 94 sq.; Propert. 3, 12, 27: lotosque herbaeque tenaces.

triumphum duci, id quod de victis solum, non de victoribus usurpari potest.

IV, 5, 1 F: Qui mihi, ceteri: Est qui. Etsi codicum nostrorum lectio quemadmodum ex libri F scriptura orta sit, non facile explicabitur, tamen qui Baehrensius amantissima haec verba et dulcissima:

Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus
 Atque inter festos semper habendus erit

in ieiunum illud „En qui te" potuerit commutare, prorsus non perspicio. Omnis enim huius loci flos colorque ista coniectura deletur.

Quae si recte disputata sunt, iam de fide ac pondere codicum nostrorum certum fieri potest iudicium. Nam menda illa mero librarii errore socordiave exorta, quae in fragmento Cuiaciano fuisse videntur haud ita pauca[1]), in hac librorum comparatione, cum ceteri quoque codices pariter scateant erroribus, neglegenda esse duximus.

Quoniam igitur in tanto discrepantiarum numero tres tantummodo versus deprehendimus, quibus recentiorum codicum lectio pro vera germanaque habenda esse aut propius quam F ad veritatem accedere videtur, ceteris autem locis omnibus fragmentum illud genuinam scripturam exhibere est evidentissimum, in ea quoque carminum Tibullianorum parte, in qua codicis F subsidio sumus destituti, quin nostri libri multifariam interpolationibus sint inquinati, diutius dubitari nequit. Unde apparet atque extat, duplicem primis medii aevi saeculis Tibulliani libelli recensionem in hominum manibus fuisse, alteram ex qua fragmentum Cuiacianum fluxit, omni fere interpolatione vacuam, alteram, unde nostri libri profecti sunt omnes, omnibus modis corruptam atque obscuratam, a grammatico quodam pravis commentis refectam et interpolatam.

Huic recensioni num quid lucis ab excerptis Tibullianis offundatur, nunc nobis erit quaerendum. Ac primum quidem quae auctoritas excerptis Frisingensibus tribuenda sit, videamus.

1) Exempli gratia afferam IV, 1, 60. F: erigit, ceteri recte: irrigat, IV, 1, 168 F: alteram, ceteri: alter; IV, 1, 193 F: ausim, ceteri: ausi, alia.

II. De excerptis Frisingensibus.

Postquam Lucianus Muellerus [1]) evincere studuit, Frisingensium scripturas cum nullum interpolationis vestigium praeberent, e vetustissimo codice eoque optumo atque emendatissimo originem duxisse, ceteri omnes qui de hac re postea scripserunt, velut Ernestus Protzenius in libello [2]) de excerptis Tibullianis et Aemilius Baehresius in editionis suae prolegomenis, hanc sententiam secuti contra ipsum omnium integrorum codicum consensum etiam scribendi rationem quae in Frisingensibus adhibetur, in editiones recipiendam esse statuerunt Atque certe quidem insigni fide nonnullas Tibulli scripturas excerpta illa servaverunt, quibus partim alterutrae codicum lectiones confirmantur [3]), partim loci corrupti optime corriguntur vel versus emendandi ansa praebetur [4]). Neque codex is, ex quo excerpta profecta sunt, ullam interpolationis contagionem expertus esse videtur; nam versus illos consulto commutatos, quos in ipsis Frisingensibus deprehendere possumus, ei qui excerpta confecit, non codicis vetusti librario tribuendos esse statim ex ipso interpolationis genere apparebit. Versum quidem I, 4, 9 ceteri codices recte exhibent talem:

O fuge te tenerae puerorum credere turbae,

codex Frisingensis levissima quidem immutatione unius litterae sententiam paululum praebet transformatam: O fugite tenerae e. q. sq. I, 9, 45 pro Tibulli versu:

Tum miser interii, stulte confisus amari

in excerptis scriptum legitur: O miser interii e. q. sq., unde iniuria Lucianus Muellerus coniecit in textumque recepit: A miser etc.

---

1) Fleckeiseni annal. vol. 99, pg. 63 sqq. et in carm. Cat. Tib. Prop. praefat. pg. VIII.

2) dissert. inauguralis, Gryphiswaldiae a. 1869 edita, pg. 10 sqq.

3) velut v. I, 1, 2:

Et teneat culti iugera multa soli,

quam lectionem nisi Frisingensia exhiberent, equidem codicum nostrorum scripturam „magna" minime respuerem; γραφικώτερον enim illud „magna iugera" dictum mihi videtur: similiter Propertius I, 5, 10: quanta milia.

4) velut v. I, 2, 19:

Illa docet molli furtim derepere lecto,

ubi ceteri omnes multo languidius exhibent: decedere. De versu I, 1, 25 a viris doctis multifariam temptato, posterius in appendice qua de prima elegia transponendis versibus emendanda disseremus, uberius disputabitur.

III, 3, 22 in Frisingensibus extat:

Nec fortuna sua tempora lege gerit,

cum ceteri praebeant, quod re vera Lygdamus scripsit:

Nam fortuna sua tempora lege regit (gerit alii).

IV, 14, 2 denique excerpta pro codicum integrorum scriptura:

Nunc ego me surdis auribus esse velim,

talem versum: Nunc ego te surdis e. q. sq. iuseruerunt. Omnes hae immutationes versuum quamquam haud graves, tamen sola librarii socordia neglegentiaque extitisse non videntur; sunt igitur interpolationes. Sed cum hac ratione versuum sententiae aliae e carminis conexu sint solutae, aliae ut magis generaliter intellegantur, paululum transformatae (id quod codicis integri librarii munus esse non potuit), ab eo qui eclogas confecit, immutationes has profectas esse necesse est.

Alia autem praeter tria haec quattuorve interpolationis vestigia in Frisingensibus non indagavi, neque scio an plura inveniri non possint. Fuit enim florilegii huius ratio ab excerptis Parisinis, quae posterius nobis tractanda erunt, longe diversa. Nam is qui Frisingenses eclogas composuit, versus qui propter poeticum quendam colorem vel sensum generalem ei placuisse videntur, minime anxie assumpsit neque curavit utrum suis temporibus offensioni esse possent necne; quin sententias ad Venerem spectantes studio quodam et amore excerpsisse videtur [1]), Parisinorum contra auctor plane eas reformidavit aut totas saltem transformavit. Praeterea grammaticis maxime rationibus illum ductum esse, si excerptorum lectiones perlustramus, apparet: quaecunque ei adnotatione aliqua digna esse videbantur, haec verba vel ex sententiarum conexu soluta eadem qua in codice scripta extabant forma in excerpta sua recepit, ut modo nomina geographica (I, 7, 3. 11 sq. III, 3, 29), modo voces ad veterum mores artesque spectantes (I, 1, 17. I, 6, 79. I, 7, 2. 35. 45. II, 3, 63. III, 6, 2), modo vocabula propter raram casus formam scripturamque sive significationem notabilia (I, 8, 51. I, 10, 8. II, 3, 10. 19. II, 5, 3) quasi disiecta versuum membra passim inveniamus. Qui talem rationem sequitur, is raro quod poetae verba interpolet, potest habere. Quam ob rem ex excerptis Frisingensibus codicis illius vetusti quo grammaticus usus est, pretium facile colligemus.

---

1) Extant in excerptis Frisingensibus versus I, 2, 19. 36. 41 sq. I, 4, 9. III, 2, 1 sq. alii.

Fuit omnium praeter Cuiacianum fragmentum optimus et emendatissimus. Nam menda scripturae, quae in excerptis deprehendimus haud pauca, non modo in illo libro, sed ne in eo quidem florilegii exemplari quod ex ipsius grammatici manibus profectum est, extitisse veri est simillimum: tales certe scripturae, quales sunt „confixus“ pro „confisus“, „credita ratis“ pro „credit aratis“ (I, 9, 45. II, 6, 21), aliae ab excerptorum auctore neglegi non potuerunt, sed a posteriore demum codicis librario socordia levitateque in Frisingensia sunt illatae. Duo haec tantummodo menda iam in codice illo integro extitisse atque inde in florilegium irrepsisse potest contendi:

II, 6, 22:

Spes sulcis credit aratis
Semina quae magno fenore r e d d i t ager,

ubi libri nostri recte exhibent „reddat“ et III, 3, 22: „gerit“ pro „regit.“ Reliqua autem librarii errore exorta sunt et facile cognoscuntur. Qua de causa haud iniuria summam auctoritatem Frisingensium scripturis viri docti tribuerunt; maxime vero singula illa vocabula quae ex versuum conexu soluta in excerptis extare supra dictum est, omni corruptione vacua sunt ducenda: haec enim potissimum a librariis diligenter esse scripta minimeque immutata, per se intellegitur. Neque sententia nostra voce quae est „hāmatis“ v. IV, 3, 10 potest refutari: iniuria enim Luciani Muelleri de hac scriptura sententiam reicere conatus est Protzenius, cum contenderet lineola illa vocalibus superscripta nunquam posse significari, producendam esse syllabam; immo recte Muellerum illud sensisse ex plurimis excerptorum Frisingensium locis quos ipse inspexi, apparet. Exempli gratia afferam hos: in Claudiani excerptis quae Tibullianis praecedunt, pg. 117 libri extat „cānuit,“ et in eclogis Martialis quae sequuntur, pg. 118 sqq. reperiuntur: Casto̊ra, o̊vidius, Nūgis (III, 55, 3), Alūta, lůtum (III, 36, 4), sērium, sŏlĕas (III, 50, 3), ŏxĭgarum (miro librarii errore, II, 50, 4), cōpo (III, 57, 1), quātinus, pūtidula (IV, 20, 4), cērōma (IV, 19, 5), sinte̊sis, Bo̊nōnia (II, 59, 1) etc. Quibus locis omnibus lineola vel circulus semicirculusve litterae superscriptus ad nihil aliud potest pertinere, nisi ad syllabarum quam dicunt quantitatem; quid quod singula illa vocabula propter solam hanc syllabarum mensuram ab excerptore ascripta esse videntur? Quam ob rem scriptura „hammatis“ a Frisingensibus est abiudicanda atque „hamatis“ legendum.

Jam vero quid ex nostra sententia sequatur, videamus.

Primum in versu I, 3, 86 vera vocabuli forma „colu“, quam Frisingensia servarunt, erit restituenda; probat enim hanc excerptorum scripturam etiam versus II, 1, 63, in quo „colus“ illud pluraliter videtur accipiendum.

Deinde in versu II, 3, 10 scripturam pussulae pro reliquorum codicum lectione „pustula“ Muellerus et Baehrensius recte receperunt, uno Frisingensium testimonio nisi: nam quae Protzenius pg. 17 libelli sui affert exempla nihil efficiunt nisi illas quidem scripturas quae sunt pustula et pusulla, inveniri promiscue, sed „pussula“ nusquam esse scriptum nisi in codice Frisingensi; num in corpore inscr. lat. quidquam de hac re possit reperiri dubito, neque Protzenius quidem id inspexit. Sed utcunque res se habet, excerptorum scripturam veram germanamque existimo, utpote ex integerrimo fonte derivatam.

De lectione „Garonna,“ quam in versu I, 7, 11 exhibent excerpta, nescio quid sentiam. Nam inde a quarto saeculo eam in Gallia fuisse usitatam Protzenius pg. 14 sqq. demonstravit; sed in vetustissimo quoque optimoque libro aliorum scriptorum, velut Caesaris, Pomponi Melae, Plini, Ausoni extat scriptura „Garunna“, quae etiam Graecorum testimoniis, qui *Γαρούνας*, *Γαρούννα*, *Γαρύννα* exhibent, nobis probatur. Nihilo setius dum certiora afferentur argumenta, illam in editiones recipiendam, codicum autem integrorum lectionem „Garumna“ certe reiciendam cum Muellero et Baehrensio censeo.

Scripturam „Carnutis“ in versu I, 7, 12 extantem cur viri docti ad unum omnes aspernati sint, non perspicio. Cum enim in Caesaris libellis semper Carnutes sint appellati atque etiam in Livii libro V, 34 Carnutum nomen reperiatur, temporibus rei publicae liberae et imperatoris Augusti haec forma fuisse videtur usitata. Carnuti autem scriptura extat in Plini hist. nat. IV, 32 (quamquam nonnulli codices praebent: Carnuteni foederati), *Καρνουτῖνοι* apud Plutarchum in Caesaris vita c. 25, *Καρνούτων* apud Strabonem IV, 2, 191 et 3, 193, *Καρνοῦται* in Ptolemaei geogr. ed. Wilberg II, 7 pg. 173 (codices Reg. Coisl. Pal. 1 et 2 praebent *Ἀρνοῦται*), Carnutas apud Florum I, 45, 20 (ed. Halmius), Carnutinus in Orelli et Henzeni inscr. vol. III, 7046; denique „civitas Carnotum“ in notitia Galliarum IV, 3 (notitia dignitatum ed. Seeckius pg. 264: nonnulli codices Carnotenum), et „civitas Carnotena“ apud Sulpicium Severum in diall. 2, 3, unde apparet primis post Chr. n. saeculis gentem illam Carnutes, Carnutos, Carnotes, Carnotos esse nominatam. Jam Frisingensium lectionem arriperemus, nisi

versus metrum obstaret; apud Paulinum enim Petrocordiensem in vita St. Martini IV, 225 [1]) scriptum est:

„Rursus iter gressus venerabile sanctus agebat
Carnotina iacent patulis quae moenia campis“,

ut Carnoti paenultima producta pronuntietur. At omnia quae in Caesaris commentariis extant exempla nominum modo secundum tertiam modo secundum alteram declinationem flexorum, velut Santones et Santoni [2]), Teutoni et Teutones [3]), Atrebates et Atrebati [4]), Caletes et Caleti, alia hoc inter se congruunt, quod paenultima syllaba corripitur [5]). Qua de causa haud scio an etiam Carnutes paenultima correpta pronuntiandum sit, praesertim cum Paulinus Petrocorius quo saeculi quinti post Chr. n. scriptore uno mensura illa vocabuli nititur, cum alias veterum leges in carmine componendo non ita diligenter observaverit, tum maxime in nominum propriorum sive graecorum mensura peccaverit saepissime [6]). Tum igitur Frisingensium scriptura pro codicum lectione „Carnoti“ recipiatur oportebit:

Carnutis et flavi caerula limpha Liger.

Qua lectione recepta tollemus etiam elisionem illam vocis forma molossi pedis, correpta syllaba sequente admissam, quam Tibullus vitasse videtur, cum nusquam in eius carminibus nisi hoc loco illa inveniatur.

In versu denique I, 2, 19 verborum collocationem quam Frisingensia praebent:

Illa docet molli furtim derepere lecto

magis ex poetae usu esse quam quae in nostris codicibus extat „furtim molli“, omnes qui Tibullianorum versuum rationem noverunt, libenter nobis concedent.

De ceteris autem librorum discrepantiis cum viri docti omnes consentiant, iam ad reliqua Tibulli excerpta transire licet. Quibus examinatis num certi quid de eclogarum codicumque cognatione erui possit, videbimus.

---

1) Mignius, patrol. tom. LXI pg. 1042 A.

2) Confer Ptolem. geogr. 2, 6: Σάντονες, Tibull. I, 7, 10: Santŏnici.

3) Confer Propert. III, 2, 44: Teutŏnicus.

4) Confer Sidon. carm. 5, 212: Atrĕbătum.

5) De incerta vocalium mensura apud Graecos cfr. Strab. IV, 3, 194: Κάλετοι et Ptolem. geogr. 2, 7 pg. 137: Καλῆται.

6) Qua de re confer quae W. S. Teuffelius, Röm. litt. 474, 3 disputavit (erĕmo, mŭnerante.)

III. De Vincenti Bellovacensis et Scaligeri eclogis.

De excerptis Vincentianis quae Otto Richterus in dissertatione de Vinc. Bellovac. excerptis Tibullianis [1]) contenderat, Ernestus Protzenius in libello suo, quem supra memoravimus, optime correxit. Non enim Vincenti eclogas easdem esse atque Scaligeranas neque illum saeculi XIII scriptorem integro Tibulli codice usum esse, sed ex uno eodemque atque eum qui Scaligeri eclogas conscripsit, hausisse fonte, certis rationibus probavit. Quem fontem cum pg. 36 censeret florilegium Parisinum non fuisse, casu magis quam culpa erravisse videtur: tali enim ratiocinatione usus est, Vincentium si Nostradamensem [2]) codicem, quem solum ex Woelfflini disputatione cognoverat Protzenius, excerpsisset, non Tibullium poetam fuisse vocaturum, cum Parisina excerpta inscriberentur: „Tibullus de felicitate pauperis vitae"; neque tres locos a florilegio alienos I, 1, 1—4. I, 8, 46. I, 9, 52 afferre potuisse.

At extant in utroque florilegii Parisini codice versus illi, et nomen Tibullii illa aetate hominum auribus tam apte sonuisse videtur, ut haec nominis forma esset usitatissima; id quod ex eo efficitur quod etiam is qui Frisingensia excerpta confecit, saeculi XI grammaticus [3]), primum scripsit Tibullii, postea genitivum littera i erasa in Tibulli formam mutavit; huc accedit quod ipse Parisinus alter 7647 quem Meynckius divulgavit, exhibet „Tibullius." Certissimum vero argumentum quo nostra sententia probetur, hoc mihi videtur, quod in Vincentii libro et in florilegiis Parisinis eaedem reperiuntur versuum lacunae, velut in III, 3, 11 sq., ubi in utrisque excerptis versus 14 et 15 sunt omissi.

Cum igitur Vincentianae eclogae non nisi lectionibus minutis a florilegii Parisini codice archetypo discrepent, neque maiore quam illud fuisse ambitu videantur, quin etiam lacunas exhibeant easdem, Vincentium codice quodam florilegii illius usum esse apparet.

Quas autem Scaliger adhibuit eclogas Tibullianas ex Parisino florilegii emanasse, hac ratione potest evinci. Quae inter utraque excerpta extant discrepantiae levissimae casuque exortae sunt. Ut pauca afferam exempla, in lib. I, 1, 44 excerpta sua

1) dissertatio a. 1865 Bonnae emissa.

2) id est Parisinum n° 17903.

3) vel potius librarius paulo recentior.

exhibere lectionem „et solo“ Scaliger testatur, in Parisino autem codice altero 7647 (p Baehrensi) scriptum invenitur „et solr^{d}o“, in altero Nostradamensi (littera n signato) extat „et solito.“ Pro „limine“ quam formam Scaligerana et Parisina p in versu I, 4 62 exhibent, in codice Parisino n extat „lumine“; itemque in „succo“ scriptura I, 8, 11 Parisina p et Scaligerana consentiunt contra Par. n, in quo scriptum extat „fuco.“ Confer etiam I, 10, 49: „vomerque“ Par. p et Scalig., „nomenque“ Par. n; I. 9, 23: „nec tibi“ Par. p et Scalig., „ne tibi“ Par n; IV, 1, 95: „parma“ Par. p et Scalig., „parva“ Par. n. Quid quod Parisina ipsa quamquam certe eodem patre nata saepius longiusque, quam Scaligeri eclogae codexque Par. p inter se discedunt, velut II, 1, 37: „colos“ p, „colis“ n; II, 1, 48: „deposuit“ p, „deponit“ n; II, 1, 89: „tacitus“ p, „tacitis“ n; II, 2, 13: „Ne tibi quaesieris cotumque cumque per orbem“ p, „Te tibi quaesieris totumque per orbem“ n; I, 3, 70: „iacet“ n, „fugit“ p; I, 1, 20: „de magno est preda“ n, „de magno preda“ p, I, 3, 88: „remittit“ n, „remittat“ p etc.

Praeterea Scaligerana excerpta Tibulli versus a florilegiis alienos complexa non sunt. Quos enim Protzenius ex eis affert in Parisinis codicibus non extantes, veri simillimum est ne illa quidem exhibuisse. Nam utrumque locum, versum IV, 2, 23 et IV, 13, 18 Scaliger in castigationibus suis non eclogas suas vel priscam scripturam, quibus notis excerpta significare solet, exhibere dicit, sed certe neglegentissime „veteres suos libros“ vel „veteres omnes libros“, qua de neglegentia viri illustris Eduardus Hillerus in mus. Rhen. vol. XXIX pg. 100 sqq. disputavit; in exemplari autem editionis Plantinianae, cuius in margine codicum suorum lectiones varias ascripsit, ad versum IV, 2, 23 solum V signum id est Cuiaciani recentioris quo praeter fragmentum illud eclogasque utebatur vir doctissimus, et ad versum IV, 13, 18 notam CC apposuit qua nota fragmentum Cuiacianum insignire solebat.

Inde iam apparet, in carminibus Tibullianis arte critica restituendis excerpta et Vincentiana et Scaligerana prorsus posse omitti, cum illa ex communi florilegiorum codice archetypo fluxerint neque quidquam sibi habeant proprii, haec etiam nunc in codice Parisino p, quem Meynckius l. l. appellat Thuaneum, extare videantur. Namque Scaligeri eclogae fere omnibus locis cum Thuaneo concinunt ita, ut veri simillimum sit, virum illum doctissimum a Thuano, cuius in familiaritatem venerat, codicem florilegii accepisse excerpendum.

IV. De excerptis Parisinis.

E Parisinis excerptorum libris codici regio, olim Thuaneo, qui numero 7647 inscribitur (p), maior quam Nostradamensi, nunc regio 17903 (n) auctoritas attribuenda est. Hic enim librarii ignorantia vel levitate mendis scripturae admodum scatit; exempli causa falso pro codicis p scriptura praebet lectionum varietates has: I, 9, 28: „invictos" pro „invitos", I, 10, 46 versum omittit, II, 3, 47: „coniugia" pro „convivia", III, 3, 12: „fundant" pro „findant", III, 3, 17: iñtheo" pro „in erithreo" (p: meritheo); alias discrepantias supra pg. 16 attulimus.

Attamen cum Nostradamensis ex Thuaneo non fluxerit, uterque ad eum qui ex ipsius excerptoris manu profectus est, codicem restituendum nobis opus est. Qui florilegiorum archetypus, communis omnium quas novimus praeter Frisingenses eclogarum fons, manifestis interpolationibus depravatus erat. Cum enim is qui excerpta confecit, versus quos e sententiarum conexu evelleret, ipsos per se facile intellegi vellet, saepissime et particulae et coniunctiones, quin etiam pronomina, genera, tempora, modi erant mutanda, quorum exempla attulit Protzenius in libelli sui pg. 45 sqq.[1]). Sed ne in his quidem interpolationibus acquievit, immo vel totas saepe sententias transformavit ita ut quae de uno se vel de certo homine dixerat Tibullus, in omnes homines caderent.[2]) Cum autem opusculum suum scholae usui destinasset, non modo omnia quae ab illorum temporum moribus monachorumque vitae institutis abhorrere videbantur, ex eclogis suis removit (velut II, 3, 38. III, 3, 32, al.), sed etiam inusitatiorem verborum compositionem

1) Totam de excerptorum ratione quaestionem denuo tractavit quattuorque interpolationis genera distinxit M. Rothsteinius pg. 25 sqq. neque tamen novi quidquam de excerptoris consilio in medium protulit. — Quod in versuum II, 4, 11 sq. titulo excerptorem prima persona uti arbitratus est, quasi sua, non alius poëtae verba afferret, mirum in modum videtur errasse; non enim „De nimio dico dolore", sed „De immodico dolore" grammaticum illum scripsisse veri est simillimum.

2) Veluti II, 6, 19 sq. quos versus sic commutatos exhibent excerpta:

Finirent multi leto mala, credula vitam Spes fovet et melius cras fore semper ait, pro codicum lectione: „Jam mala finissem leto, sed credula e. q. s." II, 5, 12 pro Lygdami versu: „Nec cor sollicitant facta nefanda meum", hanc praebent sententiam generalem:

Sollicitant pectus facta nefanda reum.

abiecit[1]), sententiarum conexum effecit planiorem[2]), exercitationum causa, ut verborum copiam ostenderet, multa vocabula aliis synonymis similibusve eiusdem quantitatis quam dicunt commutavit[3]), denique ne discipuli a communi illa grammaticorum regula, quam ex Ovidii pentametri formandi ratione constituerant, deducerentur, omnes fere versuum pentametrorum clausulas trisyllabas in bisyllabas transformavit.[4]) Semel etiam duos versus in unum confudit I, 1, 19 et 37:

Vos quoque adeste dei.

Similiter versus 25 eiusdem elegiae lectione „Quippe ego iam possum" primam excerptorum partem I, 1, 1—10 cum altera 25—34 in unam sententiam coniunxit.

His igitur interpolationum generibus quicunque loci adnumerari possunt, omnes ab ipso excerptorum auctore depravatos esse erit credendum. In integro enim Tibulli codice cur hunc in modum sententiae transformarentur, causa certe fuit nulla; neque verborum quidem immutationes quas mero variandi studio factas esse supra dictum est, iam in codice vetusto ex quo florilegium Gallicum derivatum est, extitisse videntur: nam morem illum synonymis vel eiusdem mensurae vocabulis poetarum verba mutandi saeculis XII et XIII demum increbuisse constat, excerptoris autem codicem iam XI saltem saeculo scriptum esse veri est simillimum.

Quamquam non omni interpolatione vetustus illi liber videtur vacuus fuisse. Quam enim florilegium Parisinum in versu I, 1, 43 praebet scripturam:

Parva seges satis est, uno requiescere lecto,

haec ab excerptorum auctore quippe qui omnem Veneris men-

1) Velut II, 3, 41: „hinc caedes morsque propinqua venit" pro „h. c. mors propiorque v".

2) Velut I, 4, 35 sq.: „Serpens novus exuit annos, Sed formae nullam fata dedere moram", pro: „Formae non ullam etc." I, 10, 5: „Forsan et ille nihil meruit e. q. s." pro „An nihil ille miser meruit etc." IV, 1, 46: „Nemo magis sedare queat" pro „Non alius sed. q."

3) Velut I, 9, 28 „cogit" pro „iussit", I, 10, 8: „merum" pro „dapes", II, 1, 37: „colo" pro „cano", IV, 1 90: „miserit" pro „iecerit"; fortasse huc quoque pertinent I, 10, 46: „panda" pro „curva", III, 5, 16: „tacito" pro „tardo", III, 6, 45: „decipiant" pro „aut capiant" (cfr. Ovidi amor. I, 13, 16. ars am. II, 670. III, 445).

4) I, 1, 50. I, 5, 62. II, 1, 8. II, 3, 43. II, 6, 20; integros reliquit solos versus I, 1, 38 in polysyllabum „fictilibus" cadentem, I, 1, 72 desinentem in „capite", I, 9, 4 in „pedibus" exitum habentem.

tionem reformidaverit, profecta esse non potest, nisi forte in suum ipsius consilium monachus ille peccavit. Quin autem in excerptorum codice archetypo lectio „uno“ extiterit, cum codices n et p inter se congruant, dubitari nequit. Itaque ex libro integro, quo excerptor usus est, eam in florilegium casu esse assumptam existimamus.

Praeterea in eodem libro versus IV, 1, 39 sqq. prave erant collocati; cur enim excerptori transponendi fuerint, non intellegitur, neque de recentiorum librariorum temeritate cogitare possumus. Videtur autem illa versuum dispositio inde nata esse quod scriba libri alicuius, cum oculis a priore particula „Nam“ (v. 39) ad posteriorem (v. 45) aberravisset, post versum 47 ea quae praetermiserat, transpositionis signo apposito inseruit, quod signum postea a librariis neglectum est. Versibus vero sic transpositis interpolatio versus 39, qui ipse videtur corruptus fuisse, paene facta est necessaria, ut haud iniuria in codice ex quo excerpta sumpta sunt, hoc scriptum fuisse opinemur: Nec quisquam maiora gerit castrisve forove.

Alia interpolationum, quas libri illius scribae tribuere possimus, vestigia non indagavi; qua de causa reliquas florilegii lectiones quas ab excerptore non esse interpolatas constat, praeter menda nonnulla scripturae, qualia in ceteris quoque codicibus reperiuntur plurima, maximi pretii esse duco. Tamen in Tibulliani libelli crisi factitanda excerpta Parisina caute ac provide adhibenda esse apparet; neque editores alias quam quas integrorum codicum scripturis antecellere nemo non perspicit, lectiones in textum receperunt, antequam Baehrensius aliud poesis vere Tibullianae indagandae attulit subsidium. Sed de hac re tertio capite disputabimus. Nunc quid de florilegii Gallici cum Frisingensibus fragmentoque Cuiaciano necessitudine colligi possit, videamus.

Verum pauci extant versus quibus haec inter se comparare liceat. Frisingensia quidem excerpta decem tantum suppetunt locis, ubi Parisina non videntur interpolata ab excerptore (eos enim versus quos omnes libri Tibulliani recte exhibent, hac in quaestione nostro iure praetermittimus); quinquies contra ceteros codices inter se congruunt florilegia (I, 1, 2. 5. 34 [Par. p.] 71. III, 6, 44 [cavere]); bis in excerptis Parisinis una cum codicibus contra Frisingensia peccatum est (I, 1, 25 quo versu quin in codice eo unde florilegium Gallicum derivatum est, lectio „possum“ extiterit, nemo dubitabit, et I, 3, 86, ubi sola Frisingensia verum praebent „colu“); semel Parisinorum

fons[1]) erat interpolatus (III, 6, 44, ubi accusativum „tuum“ exhibuisse videtur); semel in eo commune librorum Tibullianorum mendum (III, 3, 22 „gerit“ in „regit“) erat correctum, semel denique Frisingensia interpolata esse supra pg. 11 vidimus (III, 3, 22: „Nec“ pro „Nam“).

Itaque apparet, propiore cognationis gradu florilegium Gallicum contingere codices nostros recentiores quam eclogas Frisingenses; cum his enim nullum mendum habet commune, cum illis duobus locis prave conspirat. Quam sententiam alio quoque argumento postea videbimus probari.

Cum fragmento autem Cuiaciano septem locis Parisinorum lectiones conferendae sunt: semel F scripturae mendum minutum exhibet (IV, 1, 97), bis Parisina et codices sunt depravata (IV, 1, 39. 40)[2]), quater vero florilegium cum Cuiaciano contra codices optimis scripturis congruit (III, 6, 44. IV, 1, 96. 102. 104), ita ut Parisina propius quam codices a libro F afuisse videantur. Sed quo vinculo inter se fuerint coniuncta, nondum potest intellegi.

Neque quae necessitudo inter Frisingensia et fragmentum illud emendatissimum intercedat, ex duobus his versibus perspicere licet: III, 4, 66 excerpta et codices exhibent „posse“, F prave praebet „saeva“; item III, 6, 44 Frisingensia cum codicibus in ablativo „tuo“ contra fragmenti lectionem „tuos“ consentiunt, in voce „cavere“ autem cum fragmento contra codices conspirant. Apparet, rem in medio esse relinquendam, nisi forte inde quod Frisingensia III, 4, 66 pentametrum solum, non totum distichon tradunt, colligere volemus, ne in eo quidem libro, ex quo excerpta fluxerunt, versum III, 4, 65 exaratum fuisse. Quod si arbitrabimur, Frisingensia ex eodem quo nostri codices orti sunt, fonte emanasse nobis erit credendum.

1) III, 6, 35 sq. „Non“ illud pro codicum Frisingensiumque lectione „Nec“ ab excerptore ortum esse arbitror.

2) In versuum IV, 1, 39 sqq. dispositione F cum codicibus contra excerpta conspirasse ex Scaligeri de hac re silentio possumus conicere.

CAPUT ALTERUM.

De codicibus Lachmannianis et Baehrensianis AV.

De recentioribus codicibus qui a Carolo Lachmanno et Aemilio Baehrensio in apparatum criticum assumpti sunt, ut recte iudicare possimus, primum pauca de codicum aetate sunt monenda; deinde quaeremus, utrum omnes ex eodem fonte manaverint an id quod in re critica factitanda summi est pretii, plures quas dicunt habeamus codicum familias; quae quaestio ita optime mihi videtur institui, ut a vetustissimis recentiorum ideoque minime interpolatis Ambrosiano et Vaticano Baehrensi proficiscentes, quo cognationis vinculo Lachmanni Parisinus aetate proximus cum illis coniunctus sit explanemus, tum num Lachmanni de libris A et C sententiae assentiri possimus videamus, denique Guelferbytanum quem Baehrensius alius familiae propaginem esse censet, examinemus; postremo utri generi librorum maior auctoritas tribuenda sit, constituere conabimur.

I. De codicum recentiorum aetate.

De Lachmanni codicibus iam supra memoravimus primum qui erat archiepiscopi Eboracensis, A anno 1425 esse exaratum, alterum Parisinum 7989, B anno 1423 scriptum, ceteros quos recentissimos dicit vir doctissimus, certe altera saeculi XV parte, cum studia antiquitatis iam maxime florerent atque virorum doctorum audacia temeritasque in codicibus corrigendis magis magisque glisceret, esse confectos; Askewianum quidem anno 1463 exaratum esse constat.

E Baehrensi autem codicibus Ambrosianus A circa a. 1374, si non paulo antea, scriptus esse videtur; ex subscriptione enim quae in fine membranae post Tibulli vitam addita est: „Liber Colucii pyeri Cancellarii florentini“, codicem Colutii Salutati fuisse intellegitur, de quo librorum manu scriptorum investigatore Baehrensius in proleg. editionis suae Catull. pg. X plu-

ribus disseruit epistulasque eius a. 1374 ad amicos de Catulli Propertiique codicibus sibi procurandis datas excerpsit[1]). Manum correctricem Ambrosiani raro in universum apparentem quinque saltem decenniis recentiorem esse Baehrensius, ut infra videbimus, suo iure contendit, neque ea codicem ullo modo foedavit.

Alterum codiçem Vaticanum V, olim Fulvii Ursini, Gustavus Loewe et Augustus Mau saeculo XIV exeunte potius quam ineunte XV exaratum esse testantur. Quo tempore et quibus manibus hic sit correctus, nihil ad codicis auctoritatem ponderandam interest, cum primo aspectu appareat, complures Italos interpolatores postea sive ex aliis libris lectionum varietates, sive sua ipsorum commenta adscripsisse[2]).

Denique Guelferbytanum G Baehrensius circa a. 1425 e codice saeculi X vel XI descriptum esse ex scripturae membranarumque ratione sibi persuasit[3]). Aliquot decenniis post aut Jovianus Pontanus ipse, qui vir doctus a. 1426 erat natus, aut amicus quidam eius interpretamenta emendatiunculasque et in textu supra lineas et in margine adnotavit, quin etiam pristinis lectionibus erasis novas partim de suo petitas partim ex alterius familiae codice quodam in ipsum verborum contextum inseruit, quae tamen omnes facile dinoscuntur.

Hos Baehrensi codices cum exararentur, Italorum temeritatem interpolatricem nondum expertos esse, inde optime cognoscitur, quod ei soli ex tanto codicum numero, qui adhuc a viris doctis excussi sunt, eas lacunas quae in Lachmanni codicibus alio aliis versibus ficticiis sunt expletae, intactas propagarunt.

Cum enim in codice archetypo post versum I, 2, 25 pentameter exciderit, Eboracensis suppositicium versum ab Johanne Aurispa compositum (id quod codex Vaticanus 2794 testatur

1) De Colutio (Coluccio di Piero de' Salutati) vd. quoque G. Voigt, Die wiederbelebung des classischen alterthums oder das erste jahrhundert des humanismus I^2, pg. 194 sqq.

2) Confer Baehrensi ed. Tib. prol. pg. VII.

3) Confer Baehrensi prol. pg. X. De recentioribus codicibus litteris langobardicis exaratis vide quae G. Voigt, l. c. I^2 pg. 401 sqq. de Poggii et Nicoli „litteris antiquis" disseruit. Erunt fortasse qui ex horum virorum doctorum officina ut ita dicam, codicem G arbitrentur profectum, quibus ne assentiamur, lacunis eis de quibus mox disputabimus, impedimur.

et iam Franciscus Puccius coniectura assecutus erat[1]) exhibet hunc:

Securum in tenebris me facit esse Venus,

qui versus idem in codice V manu secunda additus est. Parisinus B lacunam illam itemque Vaticanus 2794 suppleverunt ita:

Ille deus certae dat mihi signa viae,

in codicibus denique quorum consensum littera C insignivit Lachmannus, Thomae Senecae Camertis[2]) commentum extat hoc:

Praesidio noctis sentio adesse deam.

Jovianus Pontanus in G codicis lacuna addidit:

Usque meum custos ad latus haeret amor.

In ceteris codicibus haec vel alia supplementa inveniuntur, velut in codice bibliothecae universitatis Monacensis hic versus legitur:

Non mihi nocte quies, non mihi nocte sopor.

Contra in tribus illis, quorum lectiones Baehrensi operae debemus, codicibus nihil tale prima manu scriptum potes reperire: codices A et V sine intervallo versus 25 et 27 coniungunt, (ille tantum in margine adscriptum exhibet „deficit", hic manu posteriore Aurispae commentum praebet), Guelferbytanus autem interstitium unius versus reliquit, in quo Pontani versus, quem supra memoravi, altera manu additus est.

Praeterea post versum II, 3, 15 codex A statim nullo interstitio relicto praebet versum 16, G in spatio altera manu scriptum exhibet Pontani versum:

In nemus et pastas inde referre domum;

deinde signo apposito in margine inferiore eadem manus adiecit hos, quos item a Pontano suppletos esse testatur Franciscus Puccius:

Ipse et spumanti primus multralia succo
Implesse expressis fertur ab huberibus.

Vaticanus V versus inde a carmine II, 2, 20 usque ad II, 3, 53 omisit; Vaticanus 2794 contra hoc loco interposuit Senecae commentum:

Creditur ad mulctram constituisse prius,

---

1) Vide Lachmanni apparat. crit. ad hunc locum.

2) De quo carminum interpolatore circa a. 1392 nato, a. 1431 magistro publico urbis Bononiae, post a. 1454 Arimini mortuo cfr. G. Voigt, l. c. pg. 583 sqq. et Ang. Battaglini apud Basinium opp. tom. II pg. 1, pg. 91, Arimini 1794.

quod etiam Lachmanni codices exhibent omnes; altera autem manu adscriptus est versus ab Aurispa suppositus:

Et potum fessas ducere fluminibus,

cui Muretus in veteribus codicibus adnotatum fuisse dicit „versus Aurispae“. Et Eboracensis praeter Senecae commentum eundem hunc versum exhibuisse dicitur; in Monacensi autem hoc supplementum inveni:

Cogere cum parvum matre simul vitulum.

Eiusdem carminis post versum 77 (75) cum hexameter excidisset, Lachmanni codices aliique Senecae (velut Monac.) et aliorum commenticios versus assumpserunt, Ambrosianus autem integerrimus ille et Vaticanus hoc quoque loco versus nullo spatio intermisso conectunt, Guelferbytanus unius versus interstitium reliquit, quo in intervallo versum quem Puccius Pontanum reposuisse testatur, inseruit manus secunda:

O valeant cultus et tinctae murice lanae.

Ambrosianus in margine exhibet Francisci Philelphi commentum:

O utinam veteres peragrantes more puellae;

cum Philelphus ille a. 1398 natus, a. 1481 Florentiae decesserit, apparet quo iure Baehrensius de Ambrosiani manu recentiore iudicaverit.

Denique pro versu III, 4, 65, quem ex fragmento Cuiaciano nobis restituere contigit, cum Lachmanniani exhibeant:

Saevus amor docuit dominae fera verba minantis,

codices Baehrensiani tradunt nihil, nisi quod in G ab altera manu correctrice Pontani versus appositus est:

Flere nec ante pedes pudeat dominamque vocare[1]).

Codices autem aliquot recentioris aetatis versum fragmenti F ipsum in verborum contextu exhibent, praeter Pocchii et Perreii excerpta vetusta codices Corvinianus, Vossianus tertius, Monacensis[2]), alii, quos omnes ex illo libro optimo virorum doctorum saeculi XV opera versum accepisse, ego quidem pro certo habeo, cum in eis nullum vestigium meliorum lectionum quam quas codices Lachmanni et Baehrensi praebent, indagare

1) Lachmanni appar. crit. ad hunc locum.

2) Si ea quae Heynius in ed. sua IV pg. XXVII de Corviniano tradidit, cum Monacensi conferas, arbitrabere fortasse librum hunc unum eundemque esse atque illum, aut certe simillimum.

potuerim; immo is quem ipse perscrutatus sum, Monacensis, omnibus, ut supra dictum est, Italorum interpolationibus vel etiam posteriorum hominum commentis scatet neque ullo modo a Lachmannianis littera C notatis differt auctoritate.

Praeter hos igitur codices inter omnes qui adhuc sunt excussi, nullus nisi unus Foroiuliensis Guarnerianus[1]) quem J. A. Vulpius Patavinus excerpsit et lectiones potiores primis suae editionis (Patavii 1749) paginis inseruit, unam alteramve lacunarum, de quibus supra disputavimus, intactam reliquisse videtur.

Iam hac de causa, quod fere nullis Italorum interpolationibus inquinati sunt a priore librario, Baehrensii codices A V G plurimi sunt aestimandi Lachmannianisque praeponendi[2]).

At forsitan libri Lachmanni A B C ex alio atque Baehrensiani fonte derivati sint; tum profecto in re critica factitanda minime debebunt illi neglegi, quamvis multa correctorum recentiorum in eis extent vestigia. Proinde hanc de codicum affinitate quaestionem aggrediamur.

II. De codicibus Baehrensi A et V.

Codices Ambrosianum et Vaticanum vetustissimos omnium Tibulli librorum inter se cognatos esse, iam primo optutu intellegitur inde quod cum ceteri codices longius propiusve ab eorum consensu discrepent, eosdem librorum titulos eademque singularum elegiarum lemmata uterque codex exhibet, quibus titulis fere rubricatoris signum R[ca] vel ℞ca additum est. Lemmatum differentiae paene nullae sunt neque exortae esse videntur, nisi falsa enuntiatorum verborumve interpunctione,

1) Vide Heynii ed. praef. pg. XXIV: lacunas contra post v. II, 3, 15 et II, 3, 75 in Baehrensianis extantes his commentis praebet expletas:

„Ipse ad umbrosas ducere fertur aquas“ et
„Mos precor ille redi patienter rursus ut olim.“

Ceterum hic quoque codex ex familia A V pendet, multis et librariorum erroribus et doctorum hominum interpolationibus inquinatus, velut I, 3, 73: Illic et iuveni, III, 6, 41: minorque Catullus = d.

2) Versum IV, 1, 112[b], quem Baehrensiani exhibent omnes, Lachmanniani praeter A et c omiserunt; de Eboracensi quidem certi nihil constat, sed versum in eo exaratum fuisse inde quod Heinsius adnotat: „112 saecula famae“ potest concludi: in Wittianum autem certe ex interpolatis codicibus illatus est, quoniam eandem ibi atque in recentissimis libris habet formam: „saecula vitae“.

mendis levitatis vel ignorantiae librariorum, verborum transpositionibus, diversitati orthographiae, vocabulis denique praetermissis vel cum similibus commutatis. Exempli gratia afferam has: I, 3: A: egi utet-elysios, V: egrotet-elyos. II, 4: A: pretia, V: munera. II, 6: A: erat, V: creat; in libri II lemmate elegiae alterius V codicis librarius archetypi lectionem quae erat „Cornutum“ falso in „chorinthum“ commutavit mera interpolatione, qua etiam elegiae nonae libri IV argumentum: „Ad Thōratum de natali die“ A et „Ad theoratum“ V exortum esse veri simillimum est, cum nomen illud ex Chorintho id est Cerintho depravaretur. Praeterea in utroque libro A et V elegiis singulis numeri non sunt praepositi, carminum libellus quartus a tertio nulla nota dividitur, post versum III, 6, 64 statim sequitur carmen IV, 12, quod epistolium Sulpiciae iterum suo loco exaratum extat. Denique uterque post carmen IV, 14 „epitaphium Tibulli“ illud quod fragmentum F Domitio Marso, alii codices velut Eboracensis et Monacensis Ovidio adscribunt, una cum Tibulli vita exhibet.

Iam ex hac utriusque similitudine atque adeo aequalitate recte concludas, codices hos ex eodem fonte esse derivatos, vetustissimas unius familiae propagines. Certius vero argumentum cognationis in elegiis ipsis extat, quod uterque plurimas praebet lectiones, quae nisi ex uno eodemque codice fluxisse non possunt. Inter quas ad hanc quaestionem diiudicandam maximam vim habent eae quae falsa apicum vel compendiorum interpretatione natae videntur. Afferam igitur ex tanto exemplorum numero pauca haec: I, 1, 37: AV: et, A^1BG[1]): e, C: de I, 4, 29: AV: te perdit, A^1BCV^2G: deperdit. II, 1, 45; AV: Antea, A^1dG: Aurea. II, 4, 33: AV: incerta, quod Baehrensio ex vīcta = vincta exortum videtur, pro quo „victa“ recte praebent A^1CG. II, 4, 44: AVB: obsequias, A^1CG: exequias. II, 4, 59: AV: Si non, ceteri: Si modo. II, 5, 35: AVB: Illaque, ceteri: Illa. II, 5, 116: AV: opida, ceteri: oppida (item IV, 1, 174). II, 6, 32: AVB: ferant, ceteri: feram. II, 6, 46: AV: tuncque, quod compendio prave illato exortum videtur ex „*itq;*“ (*tc̄q;*), ceteri recte: itque. III, 1, 15: AVB: Parvos, ceteri: Per vos. III, 1, 16: AVB: umbrosam, ceteri: umbram. III, 3, 14: AVB: thariste, ceteri: caryste. III, 3, 21: AV: homini, ceteri: hominum. III, 4, 9: AVB: natum maturas, A^1G: vanum ventura, ex qua lectionum differentia concludere posse

1) nota A^1 codicem Eboracensem significare placet.

mihi videor, in codice archetypo exaratum fuisse: *natum maτas*[1]), ita ut hoc ex minus recte intellecta scriptura quae erat *natum incūas* fluxisse veri simillimum sit; codicis Wittiani igitur librarius recte emendavit „natum in curas“, quam emendationem improbasse miror Bubendeium[2]), qui vir doctus codicis Eboracensis lectionem variam „vanum metuens“, sine dubio interpolatione exortam in textum recipiendam esse censuit. Quominus Baehrensi coniecturam „vanum eventura“ accipiamus, prohibemur eo quod codex Guelferbytanus, cuius lectione ille nititur, ut infra docebimus, non ita interpolatione vel emendandi studio liber videtur, neque intellegitur, quomodo littera s illa potuerit irrepere, cum in toto versu nullum vocabulum extaret, ad quod accusativus pluralis feminini „maturas“ referretur[3]). III, 4, 17: AVBC: ethereum, A¹G: aetherium. III, 4, 87: AVA¹B: consanguinea, CG: canis anguinea. III, 5, 29: AVB: Atquĕ nŏbis, A¹CG: At vobis (vel: nobis). III, 6, 8: AVBd: Pulserit, ceteri: Fulserit. III, 6, 15: AVB: Armenas, ceteri: Armenias. IV, 1, 40: AV: hic aut tibi (alterum hic omiserunt), B: hic (solum), FCG: hic aut hic tibi. IV, 1, 56: AV: cēssĭt ēthneae, ceteri: cessit et etneae. IV, 1, 70: AV: terminae, A¹BCG: tergeminae, F recte: inter geminae. IV, 1, 113: AVB: renoverat (per ἡμιγραφίαν ex „renovaverat“, quod praebent A¹C.). IV, 1, 200: „nec“ omisit uterque. IV, 2, 14: AVB: hunc (ex *hēt* = *hc̄* exortum), ceteri: habet. IV, 3, 18: AV: Da, ceteri: Ne. IV, 5, 16 omiserunt spatio vacuo relicto vocabulum quod est „nos“; hoc enim praeter B praebent ceteri.

1) Vides quam facile haec potuerint confundi: natum maturas et uanumuēturas. Ne fortasse conicias „vanum natura“ eisdem quibus Baehrensii coniectura repellitur, rationibus prohiberis.

2) Quaestiones Tibullianae, scripsit Henricus Bubendey, Bonnae 1864, pg. 34. Quomodo vir doctus contendere potuerit, melius poetam dicere homines qui omina noctis placent, metuere haec (id quod iam praecedente versu dixerat), quam homines in curas natos esse, non intellego. An quod talis sententia interrogationi non congruat? At iniuria Lachmannus interrogationis signum versui huic subiecit; cfr. Disseni edit. II pg. 345, Scaligeri cast. pg. 166.

3) Quid quod vel versus metro haec coniectura repellitur; nusquam enim in Tibulli aut Lygdami carminibus talis in ipsa versus caesura elisio reperitur. Huc accedit quod vocabulum vani ubicumque de hominibus usurpatur, nunquam vim vocis quae est credulus, sed tantummodo hominis gloriosi vel fallacis pseudulique habere videtur; cave cum hoc versu conferas Tac. hist. II, 22 v. 14 Halmii, Verg. Aen. X, 631, Lygd. III, 4, 56.

Sed fortasse „hanc“ post „posthac“ est supplendum. IV, 7, 8: A V B de: id venio, ceteri: id nemo.

Sed ex his lectionum varietatibus nihil nisi hoc potest colligi, utrumque unius eiusdemque stirpis esse progeniem; de affinitatis gradu hinc nihil certi eruas. Potuit enim unus ex altero ipse esse prognatus ita ut solo parente ad criticam artem factitandam nobis opus esset, alterum optimo iure abiceremus. Hanc quaestionem igitur diiudicaverimus, si aut omnes alterius lectiones diversas librarii socordia vel interpolatione irrepsisse aut tales inter utrumque librum extare discrepantias evicerimus, quales inter patrem et filium, ut ita dicam, intercedere non est veri simile.

Sunt vero plurimae vocabulorum varietates eae quae mera librariorum neglegentia et inscitia, lapsu calami vel etiam scripturae compendiis minus recte intellectis ortae esse videantur, velut I, 5, 50: V: tristitia, per geminationem ex voce „tristia“ quam A exhibet, I, 3, 38: A: vetis, V: veteris, pro qua lectione ceteri recti praebent „ventis“. Attamen talis Ambrosiano cum Vaticano intercedit ratio, ut non semper idem veram et germanam codicis archetypi lectionem praebeat, sed modo hic modo ille quid in archetypo extiterit, ostendat. Itaque cum ex tertio aliquo eiusdem familiae codice Vaticani librarium scripturas suas praestantiores assumpsisse, non habeamus quod suspicemur, codicem V ex Ambrosiano descriptum esse non posse apparet. Est igitur et codex A et codex V unius patris, ut ita dicam, filius, neque alia affinitas inter eos intercedit, nisi ea quae inter diversos unius stirpis ramulos.

Quod ut exemplis satis illustretur, afferam maximas inter libros A et V discrepantias ita ut eas lectiones quas in codice utriusque archetypo extitisse arbitor, priore loco ponam: I, 1, 19: V G C: felicis — A B A¹: felices, miro errore. I, 1, 24: A G B C: clamet, V A¹: clamat. I, 2, 99: V G: debita — A Lachm. dedita (item II, 5, 11 A V G, B C exhibent: „tibi debitus augur“, quod in solo A¹ in „deditus“ illud facilius intellectu correctum est.) I, 3, 63: A G: Ac, Bc: Hac, V A¹ de: At, quam lectionem apparet esse corruptam, quoniam statim v. 67 particula „At“ sequitur, epanalepsis autem hoc loco ferri nequit. I, 4, 56: V G, Lachm. volet, A: velit. I, 4, 81: V G, A¹ C: Heu heu, A B: Heheu. I, 6, 38: A G, A¹ C: detrecto, V B: detracto, mero errore. I, 7, 57: V G, A¹c: Nec, A B d: Ne. I, 8, 41: A G: iuventas, V A¹ B: iuventa, C: iuventus. I, 10, 41: A d e Par: at, A¹c V: ut, G: aut, B: ac. II. 3, 80: V G,

B C: iuvat, A A[1]: iuvet. II, 4, 43: V G, C: veniat, A B A[1]: veniet (prave correctum.)[1]) II, 5, 40: A G, Lachm.: Troica, V: Troya. II, 5, 72: A G, A[1] Bd: deplueritque, V c e: depuleritque. II, 5, 95: A: operta, G A[1] C recte: operata; V A[2] B: et operta, vocabulo „et", ut versus expleretur, falso addito. II, 5, 112: V G, C: reperisse (in V primitus: repperisse), A A[1] B: reperire. III, 6, 14: A G, B A[1]: contudit, V C: contulit. IV, 1, 18: V Bde: dicat opus, G: opus dicat, A F A[1] c: dictat opus.[2]) IV, 1, 91: A G, Lachm. celeremve, V: celeremque. IV, 1, 170: V G, de: Hinc, A: Huic, A[1] Bc: Hic. IV, 4, 17: V G, Lach.: At nunc, A: Ac nunc. IV, 11, 6: A G, Lach.: leto, V: lecto, F: lento (recte). IV, 13, 15: V G: Hec tibi, A B C: Hoc tibi, A[1]: Nec tibi (Veram lectionem „Haec" iam Scaliger dederat.) IV, 1, 189: A G, Bde: accitus, V A[1] c: accitos, F recte: ante actos. Longius inter se dissentiunt codices A et V in versibus his: I, 5, 27: A, Lach.: vitibus, V G: fructibus[3]). I, 10, 27: A G, Lachm.: canistra, V: sinistro. II, 1, 25: A G, Lachm.: felicibus, V: celestibus, quibus locis codicem Vaticanum interpolatum esse apparet[4]). Versum II, 1, 67 codex A una cum Lachmannianis praebet talem:

Ipse quoque inter agros interque armenta Cupido,

codex Vaticanus: Ipse quoque inter greges interque etc., id quod vera codicis eius ex quo uterque descriptus est, lectio fuisse videtur. Orta est enim, ut opinor, mira illa versus

1) M. Rothsteinius pg. 61 codicum A B A[1] lectionem „seu veniet tibi mors" praeferendam esse censet, quod coniunctivo nihil aliud possit significari nisi dubium esse, num Nemesis moritura sit. At ne indicativo quidem alia vis inesse potest, quia nusquam Tibullus particulas „si" et „cum" commutasse videtur; utramcunque igitur scripturam assumpserimus, non „cum morieris", sed „si forte brevi, aetate florens decedas" erit interpretandum.

2) Hoc loco dubito an codicis archetypi scriptura in A tradita sit, in V G autem recte emendata.

3) Hoc loco in Baehrensii adnotatione critica erratum esse suspicatus est Rossbergius in Fleckeiseni annal. pg. 72, (1879). In versu II, 4, 10 V praebet: vitrei, quod omisit A[1], addidit A[2], quam manum sequitur B; ceteri exhibent vasti. Lectiones II, 3, 40 „crudelibus" pro „discordibus", et II, 3, 41: „furor" pro „cruor" Vaticanus 2794, cuius scripturas Baehrensius in lacuna codicis V adnotavit, cum C habet communes.

4) Forsitan iam in codicum A et V archetypo utraeque lectiones extiterint.

forma ex scriptura codicis cuiusdam qui exhibuerat: Ipse inter greges interque etc., voce quae est „que“ super prius vocabulum „inter“ superscripta; quod cum scriba non recte intellegens ante vocem „inter“ particulam illam, forma in „quoque“ commutata (sic vel similiter factum puto) inseruisset, codicis A librarius ut versui succurreret, vocabulum quod est „greges“ in „agros“ transformavit, Vaticani autem scriba intactum reliquit, ita ut certe Guelferbytanus germanam versus formam exhibeat solus:

Ipse interque greges interque armenta Cupido.

Vides quibus locis codex G cum uno alterove codicum A et V consentiat, illum fere veram lectionem praebere, cum aut A aut V ab archetypi scriptura aberraverit. [1])

Sed extant etiam complures loci, quibus unus A contra consensum duorum aliorum id quod archetypus praebuit, propagavit, velut: I, 6, 12: A, A^1 B: tunc (recte), V G: nunc, quod horum uterque falso propter antecedens „nunc“ scripsit. II, 1, 22: A B: ingeret, V G, A^1C: ingerat, quod librarii coniunctivis versuum 19 et 20 adducti correxerunt. II, 5, 64: A B d: Noscar, V G: Noscat, falso commutatum; A^1 V^2 ce recte correxerunt: Vescar. IV, 1, 171: A B C: lenta, V G, A^1: lęta, e prava coniectura, cum scribae librorum laetam vitem ut saepius dictam esse putaverint.

Nonnullis vero locis codicis A librarius recte archetypi lectionem emendavit, velut: I, 3, 13: V G, A^1d: nusquam, A B c: nunquam. II, 2, 19 in A particula „et“ omissa est, quam V G ex archetypo tradunt. IV, 1, 55 denique A solum exhibet „vertere“, cum librarius id quod in archetypo exaratum erat, non intellegens, sicut etiam alias fecit, particulam „con“ plane omiserit.

Iam apparet libros A et V auctoritate fere pares neque tamen interpolandi temeritate plane liberos esse, cum in utroque aequabiliter correctorum commutationes deprehendamus. Tamen codice Guelferbytano, quem alius familiae esse hic pro certo pono, infra fusius demonstrabo, adhibito, codicis ut hoc verbo utar parentis (et eius ex quo parens natus est) speciem colligere possumus. Erat ille characteribus langobardicis exaratus, id quod ex litteris u et n, u et a, c et t, m et in, aliis inter se confusis elucet, et unius familiae erat propago,

1) Lachmanniani modo cum hoc modo cum illo congruunt neque certam legem sequi videntur.

neque ex pluribus contaminatus libris; nam certe lectiones ex alius stirpis codice ascriptas vel superscriptas, sicut in compluribus undecimi duodecimive saeculi libris factum videmus, non exhibuit; paucae enim illae variae lectiones, quas paulo supra (pg. 29, adn. 4) in eo extitisse opinati sumus, non ex alia codicum familia, sed ex scribae tantum dubitatione et ex scriptura parum clara exortae videntur. Quod autem in nonnullarum eligiarum versibus primis prima littera deest aut falsa est addita, inde nescio an colligere possimus, ne in codice archetypo quidem a miniatore omnes litteras initiales appictas fuisse, ita ut librarii qui nostros codices describebant, saepius aut nihil adicerent, velut in codice V: II, 4, 1: Ic, III, 6, 33: I mihi, IV, 5, 1: St, aut minus recte, sententia prave intellecta, vocabula supplerent, velut in codice A III, 5, 1: Nos, ubi V praebet „os“ (vera lectio erat: Vos).

Ab hoc igitur codice Y librorum A et V archetypo proficisci debemus, si Lachmanni librorum auctoritatem pretiumque inquiremus. Accedamus nunc ad illum, quem cum Baehrensianis artissime coniunctum esse constat, codicem Parisinum B.

III. De codice Parisino B.

Alterum Lachmanni codicem quem Eboracensem auctoritate adaequare ait vir ille doctissimus, Parisinum B eiusdem stirpis esse atque Ambrosianum Vaticanumque Baehrensi, iam illa lectionum communio, quas in familia Y tractanda supra attulimus[1]), confirmat omnemque dubitationem tollit. Quam arte autem cum codicibus illis cohaereat, optime demonstrant loci ei quibus illorum menda singularia suo marte Parisini librarius studuit corrigere; exempli causa afferam hos: I, 3, 25: A V: deum, B: deumque, G, A^1 C recte: dum. II, 4, 33: A V: custodia incerta, pro quo B haud ita inepte praebet: custodia coeca, G, A^1 C id quod verum est, exhibent: victa. III, 1, 16: A V: Castaliamque umbrosam, B ut versui succurreret: Castiliam umbrosam, G, A^1 C recte: Castiliamque umbram. IV, 1, 40: A V: hic aut, pro codicum G, A^1 C lectione: hic aut hic; B una cum altero „hic“ etiam particulam „aut“ omisit. IV, 1, 200:

1) Et plura eius exempla certissima possumus in medium proferre, velut I, 10, 49; A V B: nitens vomer viderit, ceteri: bidens vomerque vigent. I, 10, 51: A V B: lutoque, ceteri recte: lucoque. II, 5, 122: A V B: perpetua, ceteri: perpetuo.

G, A¹ C: nec mallem, A V omiserunt „nec" ita ut libri B scriba „mallem quoque" restitueret. IV, 5, 16: A V: posthac soluisse, B: posthac exsoluisse, G, A¹ C: posthac nos soluisse.

Sed non solum ex qua familia ortus sit Parisinus, sed etiam ex quo codice fluxerit, omni fere dubitatione sublata potest erui. Etenim quamquam duas has lectiones singulares: I, 6, 38: detracto, et I, 9, 19: O viciis cum Vaticano habet communes, quas ipsas casu vel interpolatione extitisse veri simile est[1]), tamen multo maior pars lectionum earum, quibus codex Ambrosianus a Vaticano discrepat, in Parisino quoque deprehenditur; quin saepissime vel minutissimis scripturis congruunt illi, velut: I, 4, 44: A B c: amiciat, V G: annutiat, A¹ d e: admittat, quod verum esse apparet; possumus enim ex codicum A V G lectionibus scripturam archetypi certo restituere: „āmiciat" vel „ānutiat", quae nisi ex „āmittat" fluxisse non potest. I, 4, 81: A B: He heu, ceteri: Heu heu. I, 5, 2: A B: sortis, ceteri recte: fortis. I, 6, 12: A B, A¹: tunc, V G falso: nunc. I, 6, 63: A: ac, B: Hac, ceteri: At. I, 8, 2: A B: ferat, ceteri: ferant. I, 10, 21: A B: uva, ceteri: uvam. II, 3, 36: A B c: est, ceteri: es. II, 5, 76: A B: amnis, ceteri recte: annus. III, 3, 38: A B: orchus pro „orcus". IV, 1, 148: A: sese offerret armis (parvo errore), quod libri B scriba, ut versui succurreret, correxit in: se offerret in armis; ceteri recte: sese offeret armis. I, 4, 51 denique cum semper fere A et B praebeant scripturam „temptare", in A extat: „temptabis", tertia litterae m lineola litteraque p suppunctis, in B vero scriptum est „tentabis". Quae exempla multis aliis possunt augeri, ita ut ne minime quidem credas posse dubitari quin codex Parisinus ex Ambrosiano sit descriptus. Tamen erunt fortasse qui aliter factum esse opinentur. Potest enim


---

1) Quam facile in tali sententia:

Divitiis captus siquis violavit amorem e. q. s.

utriusque codicis librarius potuerit adduci, ut vocem „Diviciis" cum „O viciis" mutaret, nemo non perspicit; lectionem vero „detracto" casu in V et B exortam esse, omnes mihi concedent, quoniam ex ceteris libris omnibus „detrecto" in archetypo exaratum fuisse apparet. Pauci reliqui loci, quibus B una cum V ceterisque libris ab Ambrosiani scriptura discrepat, velut I, 4, 56: A: velit, ceteri recte: volet. II, 3, 80: A A¹: iuvet, ceteri recte: iuvat. IV, 1, 18: A A¹F: dictat opus, ceteri recte: dicat opus. IV, 5, 6: A: si tibi ne de nobis, ceteri „ne" omiserunt, a librario de suo videntur emendati.

illa lectionum communio sic explicari, ut A et B ex uno eodemque fonte manasse ponatur[1]). Quod si verum esset, hoc familiae Y evaderet stemma:



Sed iam hanc sententiam certissimis argumentis refutare licet. Nam quascunque altera codicis Ambrosiani manus exhibet lectiones, omnes fere in Parisino inveniuntur[2]). IV, 1, 70 in codice archetypo Y „terminae“ exaratum fuisse ex consensione librorum A et V perspicitur; B vero praebet „tergeminae“, cum A^2 litteras „ge“ supra addiderit. I, 7, 6 G d e tradunt: evinctos, A^1 c: evictos, quod etiam in V extitisse videtur, cum nunc exhibeat: ≡victos, una littera erasa; A^1 scripsit: vīctos, quod ab A^2 in „^{in}vīctos“ commutatum est. Unde apparet, in Y traditum fuisse „evinctos“ neque Parisinum lectionem suam singularem „invi^{n}ctos“ aliunde potuisse accipere nisi ex A^2.

His exemplis codicem B ex Ambrosiano descriptum esse eo tempore, quo hic iam alterius manus emendationes expertus erat, satis probari arbitror. Sed utcunque res se habet, sive ex libro A sive ex alio eius simillimo prognatus est, in re critica factitanda sine ulla dubitatione potest abici. Nam quas exhibet lectiones sibi proprias, ad unam omnes foeda interpolatione exortae sunt. Afferam aliquot ex insignissimis: I, 2, 18: falso dente, ceteri: fixo dente. I, 2, 73: tenuisse, ceteri: retinere. I, 3, 34: mascula tura, quod e Vergili eclog. 8, 65 sive Ovidi med. fac. 94 petivit librarius; ceteri: menstrua tura. I, 3, 37: conspexerat, ceteri: contempserat. I, 4, 55: post, ceteri: mox. III, 4, 16: magicos deos, ceteri: magnos deos III, 3, 2: tulisse, ceteri: dedisse. III, 4, 58: maluit, ceteri: mavult. III, 6, 41: mĭnŏr āntĕ, ceteri: minoi. Versum denique IV, 1, 112^{b} plane omisit. Neque tamen, sicut in ceteris Lachmanni codicibus factum videtur, codex B ex alterius familiae libro aliquo correcturas expertus, sed tantummodo hominum doctorum emendationibus ex ingenio petitis contactus

1) Ita iudicasse video M. Rothsteinium pg. 59 sq.

2) In uno versu IV, 1, 110, B cum priore Ambrosiani manu contra alteram conspirat, id quod eo factum videtur, quod librarius codicis Parisini lectionem A^2: „arupinis“ intellegere nequivit.

est. Nam paucis illis locis quibus cum Guelferbytano congruit, coniectura vel casu codicis Ambrosiani lectio immutata videtur, velut: I, 1, 78: Despiciam dites. I, 5, 32: detrahet. I, 9, 39: faceres. IV, 3, 20: tende. Versus I, 10, 46 lectionem „iuga panda", pro qua ipsius familia exhibet „iuga curva", quamquam et in Guelferbytano et in excerptis Parisinis extat illa, tamen ex Ovidi am. lib. I, 13, 16, quo Tibulli versum imitatus est Naso:

„Prima vocas tardos sub iuga panda boves",

haustam esse, quicunque Parisinum B cum Guelferbytano contulerit, mihi concedet[1]).

Iam hunc codicem missum faciamus et ad ceteros Lachmanni libros, Eboracensem A^1 et codicum Wittiani, Datiani, Askewiani fontem communem C examinandos transeamus.

IV. De codicibus Lachmannianis A^1 et C.

Quam celeriter eis temporibus, quibus libri Lachmanniani A B C exarati sunt, interpolatorum temeritas corruptioque librorum processerint, ex codice Parisino, qui quidem multo magis foedatam praebet speciem quam eiusdem stirpis Vaticanus paucis decenniis ante scriptus, supra satis intelleximus. Itaque nemo mirabitur eundem vel etiam maiorem depravationis progressum in codice quoque Eboracensi deprehendi. Qui codex quamquam Lachmanni[2]) iudicio praeclarissimus recentiorum, non modo Italorum versibus commenticiis, quibus lacunas apertas studebant explere, inquinatus est, sed complures Tibulli versus genuinos, velut I, 2, 25. 26. IV, 1, 40 plane omisit neque ullum fere locum paululum difficiliorem intactum reliquit. Sed etsi his vitiis libri auctoritas aliquanto minuitur, tamen non omne pretium ob eam rem ei est abiudicandum, quoniam certis argumentis, ex quo libro fluxerit (id quod in Parisino facere licuit) evincere nequimus. Hoc certe iam nunc ex eis quas in codice B tractando protulimus, Eboracensis A^1 lectionibus apparere mihi videtur, aliud cognationis genus idque multo

1) Similiter in Prop. v. II, 21, 6 mira illa varietas lectionis codicum Daventriensis et Vaticani „credula turba iaces" pro „credula sola iaces" ex Tibulliani libelli v. IV, 4, 18: „credula turba sedet" exorta videtur.

2) Paullo etiam plus quam Lachmannus huic codici tribuit Lucianus Mueller, ed. praef. pg. X.

minus artum inter Baehrensianos A V et Eboracensem, quam inter Parisinum illosque intercedere. Quod prorsus manufestabitur, si ipsius libri A[1] et familiae Y discrepantias in quapiam elegia oblatas examinabimus. Perscrutemur exempli gratia primi libri carmen ultimum, in quo omnia fere varietatum genera codicum illorum deprehendere licet. Mero errore in libro Eboracensi ortae videntur lectiones hae: v. 4: „tunc“ (una cum codice Guelferbytano) pro codicum A V lectione „tum“, quam veram esse versu praecedente quo omnes libri inter se consentiunt, certe probatur; v. 8: „dum[1])“ pro „cum“; v. 17: „ex“ pro „e“; v. 33: „arcescere“ pro „accersere“; v. 41: „ut“ (quod in Vaticano quoque extat) pro „at“ codicis A et Parisinorum excerptorum. Ex interpolatoris vero ingenio has scripturas et ipsas reiciendas profectas esse persuasum habeo: v. 15: „Dii“ pro „Sed“. quae lectio prava e v. II, 1, 17: „Di patrii etc.“ huc inferri potuit; v. 26: „mystica porcus“ (cum G) pro „rustica porcus“; v. 62: „ornatas — comas“ pro „ornatus – comae“. Contra recte in A[1] libri Y menda minutissima correcta sunt v. 8: „scyphus“ (cum G, B C) pro „ciphus“, v. 30: „adversos“ (cum G C) pro „adverso“, v. 51: „e lucoque“ (cum G C) pro „elutoque“, v. 68: „Perfluat“ (cum C) pro „Prefluat“. Paullo graviores mutationes factae sunt v. 39: „Quam“ (cum G C) pro „Quin“, et v. 49: „bidens vomerque vigent“ (cum G C) pro „nitens vomer viderit“, sed ne hae quidem eiusmodi, ut ab homine paullo doctiore eas profectas esse non sit veri simile. Praeterea tres in hoc carmine codici Eboracensi ascriptae sunt lectiones variae: v. 15: „vel Sed“, quam ceteri libri praebent recte (in textu prave scriptum est „Dii“), v. 21: „vel portaverat“, cum in textu recte extet „libaverat“, v. 51 denique „vel ipse“ pro „ipso“, recte emendatum.

Quinque tantummodo locis hoc in carmine codex Parisinus ab Ambrosiano Baehrensii discrepat, quater parvis librarii erroribus, semel interpolatione inquinatus; Eboracensem vero quindecim locis cum familia Y dissentire videmus, e quibus octo scribae socordia aut interpolatione sunt depravati, septem facili mutatione emendati. Atque eadem inter codices hos

---

1) Dubitationis signum huic lectioni ascripsit Lachmannus, cum Heinsium editionis Mureti codicisque Eboracensis discrepantiam fortasse fugisse arbitraretur. Multis praeterea locis idem signum poni posse videtur M. Rothsteinio, pg. 39 sq.

ratio in ceteris quoque elegiis intercedit. Nam nullus fere est locus, ut iam supra dictum est, paululum difficilior, quem non conjecturis codicis A[1] librarius temptaverit aut commentis saepe ineptissimis depravaverit. Afferam pauca haec: I, 2, 3: amans — amor O [1]). I, 2, 56 (54): exspue — despue O. I, 3, 26: succubuisse — secubuisse O. I, 4, 22: freta longa, quam lectionem Baehrensius in adnotatione pg. XVIII editionis suae mera sive neglegentia sive interpolatione exortam esse recte contendit, cum eadem in pagina mirum in modum inde quod auctor florum auctoritatum moralium [2]) versum illum tradidit ita:

Irrita per terras et longa freta ferunt,

coniceret, pravam hanc lectionem „longa freta", etiam a versus metro abhorrentem ex codicis Guelferbytani stirpe, quae exhiberet „loca summa" esse profectam. Sed nemo opinor dubitabit, quin scriptura florum auct. mor. e glossemate voci „summa" superscripto irrepserit et falsa metathesi quam saepissime in Tibulli codicibus deprehendere possumus, exorta sit. Glossema autem illud „longa" inde duxit originem, quod grammaticus quidam medii aevi melius per longa maria quam per superficiem marium Veneris periuria ferri dictum esse arbitratus est. Itemque Guelferbytani lectio inde orta videtur, quod grammatico nescio cui scriptura „loca summa" (über alle berge) magis quam illa intellectu paullo difficilior „per freta summa" placebat. I, 4, 50 A[1] exhibuisse videtur: humeris neges — humeri negent O. I, 6, 50: invitus (mira interpolatione) — eventus O. I, 9, 60: quam — vel O. I, 8, 51: rustica — sontica G Fris., sentica C, sentita Y. II, 1, 17: formosos — fumosos O. II, 3, 42: multo innumeram iugere — ovem; multa innumera iugera — ove O. II, 4, 23: donis — fanis O. II, 5, 68: grataque quod monuit — grata quod admonuit O. II, 5, 91: petenti — parenti O. II, 5, 108: illa — ista O. II, 6, 51: si mens — tunc mens O. IV, 1, 19: descenderit (idem B) — desederit O F. IV, 6, 19: adveniet — veniet O. Et ne illo quidem studio versus ad Ovidii artem subtiliorem commutandi, quod iam in excerptis Parisinis deprehendimus, codicis Eboracensis librarius liber fuisse videtur, cum tales interpolationes ab eo

1) Hoc signo codicem archetypum omnium librorum recentiorum notabimus.

2) Liber florum auctoritatum moralium a. 1329 Veronae compositus est, vd. Guil. Meyer, die sammlungen der spruchverse des Publilius Syrus, Lips. 1877 pg. 61 sqq.

profectas esse tradant: II, 1, 66: pectine tela sonat — tela sonat latere O. II, 6, 20: melius cras fore semper ait, quam lectionem etiam in Parisinis invenimus — fore cras semper ait melius O.

Quas vero unus A^1 recte exhibet lectiones, paucissimae sunt atque etiam ab eis qui una cum Lachmanno libris A B C singulas codicum classes repraesentari censent, interpolatori tribuendae. Quodsi de codicum affinitate quaeremus, has prorsus debebimus neglegere neque ullas respicere nisi eas quibus libri A^1 et C [1]) contra familiam Y conspirant. Sed etiam ex his nostro iure illas praetermittemus, quas in codice Parisino quoque reperimus, quoniam sicut in hoc, ita etiam in ceteris Lachmannianis eas a librariis correctas esse veri est simillimum. Itaque quadraginta sex tantummodo loci restant, de quibus nobis erit agendum:

	Y	A^1 C
I, 1, 37:	neu	nec (prave)
2, 77:	tunc	tum
3, 25:	deum	dum (recte cum G)
3, 29:	Ut	Et (prave cum G)
6, 45:	mota	motu (recte cum G)
6, 46:	amans	amens [2]) (recte, sed ab

interpolatore emendatum, id quod ex codicum in verbis antecedentibus discrepantiis apparet: A^1: non, c: nec et, d e: non et, (cum O)).

8, 14:	arcta	arte [3]) (prave)
9, 35:	eriperet	eriperes (recte cum G)

---

1) Perperam compluribus locis de codicis C scriptura iudicasse mihi videtur Rothsteinius, cum quas in duobus librorum c d e repperit lectiones aptas, has in illo extitisse, pravas in tertio oblatas aliunde petitas esse putaret. At ubicunque unus ex codicibus c d e prava scriptura cum familia Y conspirat, in reliquis duobus coniectura verum inventum esse certissimum est; nemo enim tam stultus esse potuit ut tales lectiones in exemplari suo non extantes assumeret: I, 4, 44: c „amiciat“ pro „admittat“ d e. I, 5, 16: c „circum“ pro „triviae“. II, 1, 73: e „opus“ pro „opes“. II, 5, 47: e „rutilis“ pro „rutulis“, alias.

2) Hoc loco a Lachmanno in apparatu critico erratum esse, cum Heinsius pro codicis A^1 lectione exhibeat „non et amans“, M. Rothsteinius pg. 40 memorat.

3) De codicis A^1 scriptura dubitat Rothsteinius.

	9, 40:	Sit — sed	Sed — sit
	9, 69:	Ista	Ista haec (recte cum G)
	10, 30:	adverso	adversos (cum G)
	10, 39:	Quin	Quam (cum G)
	10, 49:	nitens vomer viderit	bidens vomerque vigent (cum G)
	10, 51:	elutoque	e lucoque (cum G)
	10, 68:	Prefluat	Perfluat (recte)
II,	1, 50:	et	ut (recte cum G Par.)
	3, 64:	abducit	abducis (recte cum G)
	4, 2:	paterve	paterna (recte cum G)
	4, 10:	vitrei V (A om.)	vasti (cum G)
	4, 33:	incerta	victa (cum G)
	4, 44:	obsequias	exequias (recte cum G)
	5, 35:	Illaque	Illa (recte cum G)
	5, 49:	castris (e v. 47)	castrum (recte)
	5, 81:	Ut	Et (recte cum G)
	5, 95:	(et) operta	operata (recte cum G)
	5, 122:	perpetua	perpetuo (recte cum G)
	6, 17:	dira	dura (prave)
	6, 32:	ferant	feram (recte cum G)
III,	1, 15:	Parvos	Per vos· (recte cum G)
	1, 16:	umbrosam	umbram (recte cum G)
	3, 14:	thariste	caryste (recte cum G)
	3, 17:	que in	quae (recte cum G)
	4, 3:	vani	vanum (prave)
	4, 47:	cuique	aevique (recte)
	5, 29:	Atque	At (recte cum G)
	6, 15:	Armenas	Armenias (recte cum G)
	6, 33:	Si	Hei (recte)
IV,	1, 10:	pura	puro (recte)
	1, 11:	ne (omissum)	ne (recte cum G)
	1, 27:	nec	ne (prave)
	1, 56:	tempus	coeptos, (F: captos)
	1, 113:	renoverat	renovaverat (recte)
	1, 200:	mallem	nec mallem (recte cum G)
	2, 14:	hunc	habet (recte cum G)
	5, 16:	nos (omissum)	nos (cum G.)
	8, 6:	Neu	Non (prave).

Ex his quadraginta sex lectionibus codicis Eboracensis septem familiae Y scripturis sunt deteriores, ceterae aut praestantiores aut eiusdem pretii esse videntur; omnes vero ita comparatae

sunt, ut nemo quin ab homine paullo doctiore inveniri potuerint, velit dubitare: in unoquoque enim loco et mutationis causa apparet et quae vera atque germana sit lectio, ex versus sive sententia sive metro intellegitur. Quadere quicunque novit quam insigni ingenii acie eximiaque divinationis facultate Itali illi docti veterum libros saepissime emendaverint ac quanta epistolarum frequentia emendationes suas alius cum alio communicaverint, ultro eum subibit cogitatio, codices A^1 et C ex integrae illius familiae Y codice aliquo esse profectos, lectiones autem quas supra atttulimus, Italorum operae deberi praeclarissimae[1]). Quae sententia paene manufestatur eo, quod codex Eboracensis saepius cum singularibus Ambrosiani lectionibus conspirat, velut I, 1, 19. 6, 2. 7, 55. 8, 2. 9, 3. II, 1, 67. 2, 19. 3, 80. 4, 43. III, 6, 26. Videtur igitur Lachmannianus A^1 ex Baehrensi A vel eius simillimo per varios gradus fluxisse.

Sed idem cum codice Baehrensiano G habet communes non ita paucas lectiones quae in nullo reliquorum librorum inveniuntur, velut: I, 1, 37: e — et AV — de C. 2, 54 (52): hecates — hecatae Y C. 5, 16: circum — chreme vel creme (id est triviae) Y. 8, 58: ut ne — ut nec Y C. II, 1, 9: sint — sunt Y C. 1, 45: Aurea — Antea Y C. 3, 30: Phiton — phito, Y C. 3, 62 (59): quem — quae Y C. 5, 69: Quasque[2]) Quodque — Y C. 5, 71: cometen[2]) — cometem Y C. III, 3, 7: sociarem[2]) — sociarent Y C. 3, 29: Non (cum Par.) — Nec Y. 4, 9: varium (G: vanum) ventura — natum maturas Y C. 4, 50: Quodque[2]) — Quidque Y C. IV, 6, 5: ornandi — orandi Y C. 6, 10: cuiquam — cuidam Y C. 7, 8: Ne — Me Y C. Quae res ita optime mihi videtur explicari, ut etiam alterius familiae codicem aliquem a librario eius libri ex quo Eboracensis fluxit, hic et illic esse adhibitum atque singularem hunc codicem ex duabus familiis esse ortum ponamus. Sine dubio autem codicum A et V stirps longe optinet principatum, ut Eboracensis a Parisino vix differat auctoritate.

Unum hoc sibi habet proprium et singulare, quod compluribus locis varietates lectionum affert; neque tamen hac re eius pretium augetur. Sunt enim illae aut ex familia codicis

1) Certe lectiones hae non minus quam versus ille Italorum commenticii (cap. II, § 1) in publicam notitiam abire potuerunt.

2) His locis dubitari posse de codicis A^1 scriptura, quod Heinsius nihil adnotet, monet M. Rothsteinius pg. 43.

G assumptae aut ex ipsius interpolatoris ingenio petitae. In medium proferam has: I, 1, 43: I, 1, 43: vel Parva seges satis est, satis est e. q. s., cum in ipso carminis contextu extet interpolatoris Guelferbytani commentum: Parva satis mensa est, satis est etc. 1, 45: Audisse vel Audire. 1, 46: detinuisse vel continuisse (vides saepe librarium suam lectionem ficticiam in versus ipsos inseruisse.) 1, 54: exiles vel hostiles. 3, 24: aera vel sistra. 4, 83: turpis vel turbis. 5, 27: vitibus (hoc A) vel fructibus (hoc G V). 5, 69: timeto vel caveto. 7, 4: Atax vel Arabs. 7, 11: erit vel Arar. 7, 42: compede pulsa vel cuspide victa (vida interpolatoris studium sententiae ad vocem cuspide, quae in O extitit, aptandae.) 9, 31: nullius vel nullo tibi (G recte: nullo te). II, 3, 60: gypsatos vel luxatos. 5, 110: faveo morbo vel foveo morbum. III, 2, 15: rogatae vel precatae (recte correctum). IV, 1, 39: Namque tibi vel Quisque tibi (Nam quique tibi Y, Nam quis te F). 1, 94: levius vel melius vel brevius (hoc in O). 3, 21: subiecit vel subrepit (hoc in O).

Ad summam codex Eboracensis cum neque ex alia quam codices Baehrensiani integri familia natus sit neque ullas lectionum varietates praebeat nisi quae sive ex interpolatione sive ex contaminatione duarum Y et G familiarum extiterint, immo Italorum temeritate emendandi et supplendi multifariam sit inquinatus, in crisi Tibulliana factitanda aut prorsus est neglegendus aut certe non magis est respiciendus, quam recentiorum hominum doctorum coniecturae.

De tribus vero recentissimis codicibus c d e cum iam Lachmannus iudicaverit nihil fidei aut ponderis in singulis inesse, utpote qui neglegentissime scripti et incredibile quantum interpolatorum commentis depravati sint, paucis quaestionem transigere possumus. De origine eorum vix certi quicquam eruas, cum modo c et e, modo d et e, modo e et d una singulares lectiones praebeant easdem, velut: I, 5, 16: triviae d e recte ex lectione codicis Ambrosiani „creme“ correctum. I, 4, 7: modum d e, — locum, cet. III, 4, 35: Lima d e, — Ima, cet. IV, 1, 75: d et e omiserunt „si“. I, 4, 55: ille volenti d e, — ipse roganti, cet. I, 3, 4: violenta c, violata e, quod certe nisi ex illo non potest profectum esse. I, 9, 28: immites c e, — invitos, cet. II, 3, 38: furor c e, — cruor, cet. II, 3, 39: campo c e, — ponto cet. II, 5, 66: Iactavitque c d, — Iactavit, cet. III, 4, 2: externa c d, — hesterna, cet. Hanc igitur de origine singulorum codicum quaestionem

meo iure missam facio, hoc solum addens, codicem Datianum d saepius cum Parisino B convenire, velut in versibus his: I, 3, 34: mascula tura. III, 4, 58: maluit, — mavult, cet. II. 2, 7: pura — puro, cet. III, 6, 41: minor ante B, minorque d, — Minoi, recte cet. Omnes autem ex familia Y per varios gradus fluxerunt (cfr. pg. 39), id quod plurimis lectionibus evincitur; e familia codicis G correcturae admodum paucae eaeque quas facile coniectura assequi poterant librarii, a codicibus c d e assumptae sunt, sed graviores illae codicis Guelferbytani lectiones velut: II, 1, 67: Ipse interque greges. III, 1, 10: Pumex et. III, 3, 20: Invidia est, non magis in illis quam in codicibus Eboracensi et Parisino inveniuntur.

Habent igitur omnino codicum AV lectiones, multifariam mutatas atque depravatas, quamquam aliquotiens soli ex Lachmannianis veram illorum manum propagaverunt. Hac de causa certe doctissimus ille vir consensionem trium horum codicum magni faciendam esse contendit; et recepit in carminum contextum nonnulis locis suo iuro quae illi scripta exhibent, velut: III, 3, 24: At — Et A[1] B. III, 4, 63: illis Y Par. — illi A[1] B. III, 6, 57: Naida O — Naiada B (A[1]?). III, 5, 1: ... os, quod item V exhibet, cum A et G falso praebeant Nos. IV, 1, 26: vovemus O F — movemus A[1] B, et plura potuit recipere, velut: II, 5, 112: reperisse, II, 5, 108: ista, IV, 1, 162: neque, alias lectiones. Contra in magna illa difficultate verum et falsum dinoscendi saepius pravas quoque et interpolatas lectiones quas assumeret dignas putavit, velut: II, 5, 98: ante — ipse O. III, 1, 21: longa — larga O. IV, 1, 37: potior — potius O. IV, 1, 127: Nulla Ulla O. I, 1, 12: florea — florida O. I, 4, 37: Phoebo Bacchoque — Baccho Phoeboque O, et saepius; plurimas tamen interpolationes et audacissimas reiecit: I, 8, 31: mollia — levia O. I, 10, 12: tremente — micante O. II, 3, 37: crudelibus — discordibus A G. II, 5, 9: referunt — memorant O, alias. Fuerunt igitur alicuius pretii, quamquam parvi libri illi tres tum cum codices A et V Baehrensi nondum erant indagati; nunc procul sunt abiciendi, nisi Italorum coniecturas in eis extantes respicias. Quanto autem acumine interpolatores illi nonnunquam veram germanamque Tibulli scripturam intellexerint, quam inepte contra saepius bonas codicum lectiones immutaverint, ex his codicis Wittiani c exemplis satis perspicias: III, 2, 24: pinguis — dives O, quod ex versu antecedente huc irrepsit, III, 4, 9: natum in curas — natum maturas Y, et I, 9, 68:

tenues denso pectine nocte comas — tenues denso pectere dente comas O. III, 4, 66: potuit — docuit O.

Omnes fere codices ceteros passim per bibliothecas dispersos, sicuti Lachmannianos partim ex Ambrosiano, partim ex Vaticano per varios gradus fluxisse, magis magisque gliscente et interpolatione et depravatione, Aemilius Baehrensius in proleg. pg. IX testatur, paucos ex altera familia natos eosque omnes multifariam novis interpolationibus ex stirpe Y ductis inquinatos extare dicit, ita ut solus Guelferbytanus, ex quo illi descripti sint altera manu correctoris iam addita, in crisi Tibulliana praeter A et V debeat adhiberi.

Iam igitur de hoc codice singulari videamus quid sit statuendum.

CAPUT TERTIUM.

I. De codicis Guelferbytani G et florilegii gallici cognatione.

Carolus Lachmannus in editionis suae proleg. pg. VII disseruerat, unum Franziscum Puccium[1]), qui a. 1502 exemplar editionis Regiensis emendavit, libro quam ceteri essent antiquiore usum videri, itaque emendationes Puccii potiores excerpserat et excerptas nota P in apparatum criticum receperat. Huic Lachmanni sententiae Lucianus Mueller inmerito pg. XI editionis suae repugnare conatus est, cum quidquid lectionum ex suo codice afferret Puccius, id aut interpolatum ab Italo nescio quo saeculi XV aut sumptum de excerptis talibus qualia fuerunt Vincentii et Scaligeri contenderet. At certe illum librum Puccianum indagare contigit Baehrensio, Guelferbytanum codicem quem iam Heynius quamquam pretio eius minime perspecto, in codicum enarratione alterum nominaverat nonnullasque eius lectiones in adnotationibus editionis suae quartae attulerat. Contendit igitur Baehrensius codicem G a Puccio esse adhibitum eo tempore quo ille iam alterius manus correcturas et interpolationes, fortasse ut ex adnotatione marginali ad versum I, 7, 18 et 8, 51 „Pont". subscripta conici potest, Ioviani Pontani ipsius, erat expertus. Quae res vel levissima lectionum comparatione evincitur; vide modo: I, 1, 5: vita P G. 1, 6: exiguo P g.[2]) 2, 87: prorepere P G. 5, 6: per te P G. 5, 33: „assecula. ita legit Pontanus, i. ancilla" P, „assecula. i. ancilla" g. 6, 70: Possim P G. 6, 72: pronas P g. Gravissimum vero huius sententiae argumentum mihi videntur Puccii adnotationes ad I, 10: „Quis fuit. hoc est principium secundi libri in codicibus vetustioribus, et est de amore Nemesis. Elegia prima", et in fine libri tertii: „hii versus non leguntur hoc loco in

---

1) Nam de Joanne Joviano Pontano, quam Huschkius pg. XI praef. editionis suae codicem finxisse contenderat, nihil certi constare ait vir doctissimus.

2) Hac nota alteram codicis G manum significabo.

vetustis codicibus et videntur de inferiore epigrammate inculcati fuisse in huius elegiae finem per errorem librariorum". Utraque enim adnotatio quadrat in codicem Guelferbytanum, qui priore loco litt. maiusc. rubr. exhibet: „Albii Tibulli poetae illustris de amoribus nemesis liber II", post III, 6, 64 autem statim subicit: „Albii tib. de laudibus messalae panagiricus"; contra ceteri libri omnes elegiam illam „Quis fuit etc." recte primo libro tribuunt, cum carmine vero III, 6 epigramma IV, 12 coniungunt.

Prima autem codicis Guelferbytani manus quanto inter ceterorum codicum recentiorum gregem excellat integritate, supra (cap. II, § 1 et 2) docuimus, ubi eam neque ulla lacunarum supplementa suppositicia praebere, et plurimis locis bonas sive codicis Ambrosiani sive Vaticani lectiones contra alterius vitia defendere demonstravimus. Etiamsi igitur alterius familiae progenies non esset, tamen in carminibus Tibulli restituendis codicem hunc oportebat adhibere. Sed nunc tantam optimarum lectionum multitudinem tradit, quae in familia codicum A et V nusquam inveniuntur et quas omnes coniectura grammatici cuiusdam vel doctissimi et artis criticae peritissimi ortas esse vix credibile est. Perlustres modo mecum paucas has ex tanto numero selectas scripturas:

I, 1, 2: multa Par. Fris. G — magna, cet.
1, 5: vita Par. Fris. G — vitae, cet.
1, 29: bidentem Par. G — bidentes, cet.
1, 41: fructusve Par. G — fructusque, cet.
1, 48: imbre Par. G — igne, cet.
1, 78: Despiciam dites Par. G — Dites despiciam, cet. (confer I, 4, 82: Deficiunt artes deficiuntque doli. II, 5, 100: Cespitibus mensas cespitibusque torum.)
2, 6: fulta G — firma, cet.
2, 76 (74): in G — et, cet.
5, 7: per te G — parce, cet.
5, 74: usque G — ipse, cet.
7, 3: frangere G — fundere, cet.
7, 54: libem . . mella favo G — liba . . mella feram, cet.
8, 51: sontica Fris. G — sentita Y, sentica C.
9, 31: nullo te G — nullo tibi, cet.
9, 53: donis puerum G — puerum donis, cet.
II, 1, 17: Di G — Dii, cet. (confer III, 4, 1.)
1, 89: furvis G, cui lectioni Lachmannus addidit: „Guelfer-

bytanus secundus qui Pontani solet inventa sequi"; immo vero Pontanus illius lectiones optimas secutus est.

4, 36: ille G — ipse, cet.
5, 82: eat G — erit, cet.
6, 45: necat G — vetat, cet.
III, 4, 64: prece G — fide, cet. (cfr. III, 6, 46)
6, 2: geras G — feras, cet.
IV, 1, 1: tua (vel me) G — mea, cet.
8, 8: Quoniam G — Quamvis, cet.

Tamen hae lectiones quamvis praeclarae, fortasse parum grave argumentum videri possunt, cur codicem G alterius familiae esse statuamus. Sed quid? si excerpta aliqua a stirpe codicum nostrorum diversa cum illo affinitate coniuncta esse evicerimus, concedetur profecto, duas nobis in Tibulli carminibus restituendis codicum familias esse praesto, alteram Y, alteram libri Guelferbytani. Excerpta autem illa exstant in florilegio gallico, de quo supra (cap. I, § 3 et 4) pluribus disputavimus, sed quo cognationis gradu recentiores codices nostros contingat, non potuimus perspicere.

Quam arte vero a cognatione excerpta Parisina et codex G inter se cohaereant, Baehrensius proleg. pg. XIV demonstravit, quo loco Italum quendam florilegii codicem nactum novam hanc Guelferbytani recensionem instituere non potuisse primae elegiae lectionibus evicit. Quibus ponderatis hoc posuit ille, ubicunque excerpta destituerentur Guelferbytani consensione, interpolationes iam deprehendi, ubicunque autem consentirent illa, praeclarissimas fere lectiones ab eis tradi. Haec sententia num etiam ceterorum carminum lectionibus probetur videamus. Atque primum quidem eas lectiones perlustremus, quibus florilegium gallicum quoad eius scripturas germanas ex duobus libris Parisinis colligere possumus, cum codice Guelferbytano consentit. Sunt autem hae:

	G. Par.	Y
I, 4, 29:	deperdit	te perdit
9, 9:	petituras	petituros
10, 39:	Quam	Quin
10, 49:	bidens	nitens
	vomerque vigent (nitet Par)	vomer viderit

II, 1, 45: Aurea — Antea
1, 49: ingerit — ingerat
1, 50: ut — et (quod vitium familiae Y coniunctivus ille „ingerat“ falso in versu antecedente positus traxisse videtur.)
3, 44 (41): obsidere — obsistere
3, 45 (42): Ut — Et
III, 3, 17: legitur quae — legiturque in
3, 20: Invidia est — Invida quae
3, 22: regit — gerit (Fris.)
6, 46: prece — fide.

His lectionibus Guelferbytani et florilegii gallici communibus, quae sine ulla dubitatione scripturis alterius familiae anteponendae sunt, statim paucos hos locos opponamus, quibus illorum consensus codicibus A et V est inferior:

I, 8, 39 sqq.: nunc (ter) Par. G — tunc (recte), cet.
IV, 1, 39: Nec quisquam Par. G — Nam quique tibi Y — Nam quis te (recte) F.

Praeter duas has lectiones versus IV, 1, 39—47 et codex G et excerpta Parisina exhibent perperam collocatos ita: 45—47, 39—44,[1]) id quod certissimum cognationis argumentum habendum est; talis enim versuum dispositio nisi ex eodem fonte in utrumque librum manasse non potest. Scripturae vero illae pravae versuum I, 8, 43 sqq. et IV, 1, 39 interpolatione exortae esse videntur, cum librarius codicis archetypi sententia prioris loci minus recte intellecta particulas immutaret,[2]) alterius mendum „Nam quique tibi“, quod quin in archetypo extiterit dubitari nequit, falso corrigeret. Denique etiam in versu II, 3, 39 (36) familia Y germanam lectionem „operata“

1) Qua re etiam sententia quamvis speciosa M. Rothsteini, qui vir doctus pg. 70 libelli sui posuit in codice aliquo, unde G ductus est, summa cum cura excerptorum lectiones graviores in margine, leviores velut eas quae una littera ab Y discrepant, inter lineas fuisse adnotatas vel etiam correctione in ipsum textum illatas, ita ut a librario non ita diligenti graviores discrepantiae fere neglegerentur, reciperentur leviores, refutari mihi videtur.

2) Lectionem „nunc“, quae quin ab excerptorum demum auctore profecta sit, fieri non posse Rothsteinius pg. 75 contendit, iam in eo libro, ex quo excerpta Parisina sumpta sunt, extitisse propterea credere licet, quod aliis quoque locis, velut I, 2, 79. 3, 89. 91. 6, 11 particulam „nunc“ non minus inepte pro „tunc“ in uno atque altero codice positam reperimus.

pro ea quam archetypus codicis G et excerptorum Parisinorum exhibuit „adoperta“ praebere mihi videtur. Multo enim γραφικώτερον illud dictum est atque huic praecipue loco aptius, cum in versibus sequentibus eadem Praeda quasi persona agens, id est operata inducatur. Atque facilius certe vocabulum quod est adoperta, in locum vocis „operata“ recipi potuisse, quam secus, ex versus II, 5, 95 scripturis intellegitur: A operta, V „et operta“ falso, G „operata“ recte.

Cum autem ad bonarum lectionum numerum codicis G et florilegii communium pravae hae paene sint nullae, reliquae quoque scripturae illorum, de quibus alioquin dubitare licet, pro germanis codicis archetypi X habendae sunt. Recipiantur igitur in editionem oportet hae:

I, 3, 71:	Tum	Tunc Y.
8, 9:	prodest molles	molles prodest Y.
8, 10:	Saepe et	Saepeque Y.
II, 1, 29:	celebrant	celebrent Y.
1, 45:	tum	tunc Y.
III, 3, 29:	Non	Nec Y.
6, 13:	feroces	ferocem Y.

His omnibus enim scripturis graviores causae quominus vera Tibulli verba putentur non obstant; in una tantummodo versus II, 1, 29 coniunctivus „celebrent“ paululum aptior quam indicativus videtur. De versu I, 10, 46, quo X „panda“ exhibet, Y „curva“, infra in auctoritate codicis archetypi florilegii et Guelferbytani ponderanda disseremus.

Iam ad eas lectiones aggrediamur, quibus excerpta Parsina a Guelferbytano dissentiunt. Interpolatione quidem ortae sunt aut certe in codice utriusque familiae archetypo O non extiterunt illae quae vel in G vel in florilegio exaratae a ceterorum librorum consensu destituuntur. Duae hae tantum scripturae II, 1, 9: sunt Y Par, sint G et II, 1, 89: fulvis Y Par., furvis G, quibus consensio codicum AV et florilegii testimonio Guelferbytani inferior est, in utriusque familiae progeniem errore irrepsisse videntur, id quod facillime fieri potuit; altera certe lectio ex versus antecedentis vocabulo „fulva“ profecta est. Contra his locis Guelferbytani librarius interpolatione sive socordia codicis archetypi O lectiones immutavit, AV germanas exhibent:

I, 10, 3:	tum Y Par.	tunc G.
10, 41:	at Y Par.	aut G, ut V.
10, 50:	occupat Y Par.	occupet G.
II, 6, 7:	Spes sulcis Y Par. Fris.	et sulcis G.
III, 3, 29:	iuvant Y Par.	iuvent G.
4, 63:	illis Y Par.	illi G.
6, 7:	durum Y Par.	dirum G.

Sed multo maior pars lectionum archetypi depravatarum in excerptis Parisinis deprehenditur; nimirum ei qui florilegium confecit, ad suam rationem multa erant mutanda,[1]) multa etiam librariorum neglegentia corrupta sunt. Huc igitur pertinent scripturae hae:

I, 2, 90:	ei iratus Par.	non unus O.
2, 91:	dampnasset Par.	lusisset O.
2, 97:	circumdedit Par.	circumterit O.
3, 68:	circa Par.	circum O.
3, 87:	At Par.	Ac O.
6, 75:	Ne Par.	Nec O (item II, 2, 13)
8, 14:	colligat Par.	colligit O.
9, 3:	est siquis Par.	et siquis O.
10, 3:	Tum Par.	Tunc O.
10, 4:	Et Par.	Tum AV, Tunc G.
10, 8:	aptabat Par.	astabat O.
10, 37:	perscissisque Par.	percussisque O, multae aliae,

quas afferre longum est.

Ubicunque igitur Parisinorum scripturae reliquorum codicum consensione destitutae ipsae per se codicis archetypi lectionibus non praestant, omnino sunt neglegendae; sed extant in florilegii codicibus etiam nonnullae, quibus menda Guelferbytani et codicum AV communia optime corriguntur, velut his locis:

I, 5, 61: praesto tibi praesto O -- praesto semper te, Par.. (praesto semper tibi, Muretus).
9, 23 sq. celandi spes . . . Est . . vetat, Par. — celanti fas . . . Sit . . . vetet O.
II, 1, 38: glande Par. — grande O.
2, 15: indis Par. — undis O.
4, 12: nunc Par. — nam O.

---

1) Vide quae supra in cap. 1 § 4 disputavimus.

III, 6, 44: cavere Par. Fris. F — carere O.
IV, 1, 39: castrisve Par. — cartisve O.
1, 87 sq.: Ut . . . ut Par. — Et . . . . et O.
1, 96: Veniat gravis, Par. F — grandis venit O.
1, 98: veniant Par. — venient O.
1, 102: ut Par. F — in O.
1, 104: Dexter uti Par. F — Dexteraque ut O.[1])

Hae lectiones optimae unde profectae sint, nunc nobis quaerendum est. Consensionem illam, quam compluribus locis supra allatis (III, 6, 44. IV, 1, 96. 102. 104) in excerptis cum fragmento Cuiaciano deprehendimus, qua contra codicum integrorum testimonium singulares scripturas easque non ita paullum a ceteris discrepantes tradi videmus, forte fortuna ingeniosi hominis coniecturis effectam esse, credi vix potest. Reliquarum enim immutationum ratio ab excerptore profectarum longe ab his IV, 1, 96 et 104 discrepat. Videtur igitur is qui eclogas gallicas confecit sive libri archetypi corrector passim codicem Cuiacianum, fortasse eo tempore quo nondum erat detruncatus, inspexisse atque ad excerpta sua emendanda adhibuisse. Certe quidem aliquod necessitudinis genus inter florilegium Parisinum et fragmentum illud intercedit. Qua de causa nescio an etiam ceterarum bonarum florilegii lectionum partim ex hac membrana optima profectae sint; sed certi de hac re nihil potest erui. Acquiescamus igitur in his scripturis Parisinorum quasi in bonis virorum doctorum coniecturis.

Quoniam utriusque familiae progeniem, et codices Ambrosianum Vaticanumque et florilegium gallicum librumque Guelferbytanum perlustravimus, hoc constituere conemur, qua ratione his rei criticae subsidiis in Tibulli emendatione utendum sit. Ceteros enim codices integros in crisi factitanda neglegendos esse docuisse mihi videor.

1) Vide quantus lectionum numerus Rothsteinii de codicis G et florilegii necessitudine sententiae, quam supra pg. 46, adn. 1 memoravimus, repugnet prorsusque eam repellat. Qui enim ex exemplari illo, quod Rothsteinius e Parisinis correctum fuisse fingit, librarius scripturas has perpaulum a codicibus AV discrepantes ideoque, ut Rothsteinio videtur, inter lineas vel in ipso textu exaratas omnes potuit non recipere, cum lectiones „imbre“, „Nec quisquam“, alias in margine ascriptas assumeret?

II. De utriusque familiae X et Y auctoritate.

De familiarum auctoritate quantum ex lectionum variarum comparatione supra instituta colligi potest, codex ille ex quo Guelferbytanus manavit, e manu hominis linguae latinae haud imperiti profectus est, alterius autem familiae libri a librariis indoctis atque neglegentibus descripti sunt. Quo factum est, ut Guelferbytanus plurimas codicis archetypi O lectiones, quas reliquorum librorum scribae minus recte intelligentes mero errore sive socordia transformabant, immutatas et intactas propagaret. Sed ubi maius ingenium, ibi maius etiam temeritatis audaciaeque interpolandi periculum. Itaque omnes eae codicis O lectiones quae sive corruptelis deformatae litteris sensu expertibus constabant, sive propter vetustatem omnino legi non poterant, a librario parentis Guelferbytani coniecturis eisque non semper optimis temptatae sunt, cum codices A et V, utpote ab hominibus indoctis qui versus intellegere parum curabant, exarati archetypi menda maiore cum fide saepius traderent. Nusquam igitur in Guelferbytano tales invenies scripturas: [1])

I, 5, 16: creme A, (chreme V) — circum G — triviae edd.
III, 4, 47: cuique AV — cuiusque G — aevique, edd.
IV, 1, 110: arpinis AV — alpinis G — arupinis F.
1, 113: renoverat AV — revocaverat G — renovaverat, edd.
1, 139: tetereo AV — threicio G — theraeo, edd.

Neque corruptae solum codicis O lectiones in Guelferbytani parente transformatae erant, sed etiam optimae nonnunquam scripturae aliis eiusdem vel similis significationis erant mutatae, velut:

I, 4, 22: loca summa G — freta summa Y.
8, 60: sonitu G — strepitu Y.
2, 14: plurima G — florida Y.
II, 1, 18: tollite G — pellite Y.
3, 8: colenda G — serenda Y.
6, 6: lustra G — signa Y.
6, 28: bella puella G — dura puella Y (confer III, 4, 52: bella puella.)

1) Confer etiam I, 3, 38. 50. 4, 29. 8, 51. II, 3, 63. 6, 46. IV, 7, 8 alias.

III, 6, 37: loquor G — queror Y.
IV, 1, 27: nomine G — carmine Y.
1, 211: nomina G — carmina Y.
3, 20: tende G — tange YF.

Quibus ex exemplis quae facile possunt augeri, altera quaeque lectio in editiones erit recipienda.

At istae Guelferbytani lectiones interpolatae, ut quae ex glossematis natae videantur, in hunc ipsum codicem primum irrepsisse neque iam in codice parente extitisse putari possunt. Quam sententiam ne probemus, ipsius libri G fide prohibemur, quem librum ex vetusto exemplari quam fidelissime depictum esse Baehrensius [1]) autumat; sunt igitur illae parenti Guelferbytani et Parisinorum excerptorum tribuendae. Quam ob rem nescio an etiam versus I, 10, 46 lectio „panda" Guelferbytani et florilegii communis huc pertineat; ex Ovidii [2]) enim ratione priorum poëtarum versus imitandi et variandi nihil certi concludi posse videtur.

Contra ea in codicum AV familia quaecunque vocabula in germanarum lectionum locum supposita sunt, ea fere ex prave intellectis codicis archetypi scripturis profecta esse veri simile est. Plerumque enim litterulae tantum aliae mutatae, aliae additae sunt, ut apicibus diligentius rimandis paullumque audacius litteris temptandis genuinae lectiones possint restitui; confer modo haec menda omnium quae in A et V extant gravissima:

I, 1, 48: igne — imbre G Par. [3])
1, 54: exiles — hostiles G.
7, 3: fundere — frangere G.
II, 1, 45: Antea — Aurea G.
3, 44: obsistere — obsidere G.
III, 1, 10: Pumicet — Pumex et G.
1, 20: minor — maneam G. [3])
IV, 8, 8: quamvis — quoniam G. [3])

1) edit. Tib. proleg. pg. XVII fin.

2) Ovidium hunc Tibulli versum in am. lib. I, 13, 16 imitatum esse supra diximus. Confer etiam Baehrensi libellum qui inscribitur Tibullische blätter, pg. 62: „das der einfachheit des Tibullischen stiles angemessenere sub iuga curva".

3) His locis nescio an in codice archetypo X interpolatione peccatum sit.

Recte igitur Lucianus Muellerus [1]) censuit, huius familiae exemplaria (alteram enim non cognoverat vir doctus) corruptam magis quam interpolatam exhibere scripturam; Guelferbytani contra familiam magis interpolatam quam corruptam esse, ex eis quae supra disputavimus, apparet. Quam ob rem iniuria Aemilius Baehrensius [2]) hoc posuisse videtur, ubi Guelferbytanus et AV inter se dissentirent, his fere diffidendum, ab illo autem nisi ob causas gravissimas non recedendum illiusque scripturas pro germanis communis utriusque archetypi lectionibus (O) habendas esse. Immo vero hoc in crisi Tibulliana factitanda in universum erit tenendum, ubicunque Guelferbytani lectiones gravius a codicibus AV discrepant, quam ut horum scripturae ex illis possint profectae esse errore, id est ubicunque meditatae interpolationis subest suspitio, Guelferbytano esse diffidendum, ubicunque autem litterulis tantum immutatis, id est inscientia et neglegentia differentia codicum exorta videtur, illius fere scripturas codicibus AV esse anteponendas.

Sed haec hactenus. Videamus iam, num historiam libelli Tibulliani paullum ulterius per medium aevum persequi possimus.

III. Stemma codicum Tibullianorum.

Quae Lucianus Muellerus in ed. Tib. praef. pg. III sqq. de triplici carminum Tibullianorum fonte a codice archetypo quodam saeculi VIII orto disputavit, omni probabilitatis specie carere, iam ex eis quae supra de excerptis Parisinis codicibusque recentioribus disseruimus, apparet. Nihil enim est, quod florilegium gallicum ex tertio apographo quodam, libro quarto orbato, fluxisse atque excerpta panegyrici ex altero exemplari integro deducta existimemus; immo omnes Tibulli libri qui hodie quoque extant praeter Frisingensia excerpta ex uno eodemque codice archetypo manavisse constat, qui codex O, saeculi noni [3]) membrana, omnia Tibulli carmina una cum pseudotibullianis praeter duo illa Priapea, utpote quae argumenti essent obscaeni, continebat, duorum ut ita dicam filiorum pater, a quibus nostrae codicum familiae origi-

1) Catulli, Tib., Prop. carm. praef. pg. XIII.


2) edit. Tib. proleg. pg. XVII.

3) cfr. Baehrensi ed. proleg. pg. XIX.

nem duxerunt. Idem liber tertium quartumque carminum libellum cum altero coniunctos exhibuisse videtur, cum florilegium gallicum omnes libri tertii versus secundo tribuat excerptisque libri quarti hunc solum titulum „panegyricus Messalae“ (In panegorico mesale, n.) praeponat. Qua de causa codex ille quem M. Hauptius in catalogo vetere saeculi IX [1], nominatum repperit: „Albii Tibulli lib. II“ ad hanc stirpem pertinere censendus est, non ad exemplar aliquod antiquissimum, in quo carmina pseudotibulliana elegiis germanis nondum fuerint adiecta. Nam in ceteris quoque codicibus elegiae Lygdami postea a librariis eis qui primum librum Deliae, alterum Nemesi deditum videbant, liber tertius de amoribus Neaerae inscriptae esse videntur, necdum omnino carmina haec libri tertii ac quarti, id quod Baehrensius in libello suo „Tib. blätter“ pg. 47 sqq. evincere studuit, separatim a libro altero edita esse plane constat.

Haec igitur de stirpe codicis O possunt concludi; de Cuiaciano vero vix certi quidquam invenietur. Ubi enim ad O adventum sit, recte ait Baehrensius,[2]) omni via praecisa subsistendum esse ei qui quae fata poetae nostri carmina per antiquum mediumque aevum subierint, procul habitis ariolationibus explorare velit; adeoque abhinc omnia spissis tenebris esse obruta, ut neque quibusnam cognationis gradibus O a F et Fris. tangatur, neque vero ea quae ultra hos libros ascendant tempora dispicere possimus. Hoc tantum licet opinari, Frisingensia ex libro codicis O simili pariterque lacunoso esse excerpta; alioquin enim illa versum quoque hexametrum III, 4, 65 una cum pentametro exhiberent.

Restat ut stemma codicum quoad constitui potest subiciamus.



1) Hermae Berolinensis vol. III, pg. 221.

2) edit. Tib. proleg. pg. XX sq.

Appendix.

His igitur rei criticae subsidiis quae maximam partem Baehrensii operae egregiae debemus, quasi fundamentis ei erit nitendum, qui carmina Tibulliana in integrum restituenda susceperit. Sed tantum abest ut postquam eorum auxilio ad codicis cuiusdam archetypi lectiones atque adeo ad singulas versuum scripturas germanas pervenit, totam rem iam expeditam et absolutam existimare possit, ut contra tunc demum gravissimae rei criticae quaestiones, quinam in Tibulli elegiis extent versus interpositi, quaeque carminum partes alieno loco insertae, ei sint aggrediendae.

Primo enim post Chr. n. saeculo Albii libellum multifariam versibus subditiciis depravatum et per extremam antiquitatem vel prima medii aevi saecula foliis inter se permutatis turpiter foedatum esse viri artis Tibullianae peritissimi arbitrati sunt. Nam ut commenticii vel aliunde in carmina Tibulli illati exempli gratia recte eiciuntur versus I, 5, 45 sq. a Gruppio[1]), II, 5, 31 sq. a Mitscherlichio Gruppioque, II, 5, 19 22 et 65–80 a Baehrensio[2]), II, 6, 23 sq. a Guil. Fischero[3]); transponendi autem sine ulla dubitatione (praeter illos quos alieno loco exhibent excerpta Parisina et codex G[4]) versus IV, 4, 21 sq., id quod iam Italorum viri docti optime intellexerunt, et I, 4, 21—26 et 57—70, quos primus perperam insertos cognovit Ritschelius[5]), recte disposuit Baehrensius[6]). Hae quidem distichorum traiectiones prudentissimo cuique probabuntur, cum omnia quae in pristino versuum ordine

1) Minos, pg. 3 sqq.

2) Tibullische blätter, pg. 24 sqq.

3) Quaestiones Propertianae, Bonnae 1863, theses.

4) cfr. supra pg. 46.

5) acta soc. litter. Saxon. a 1866 pg. 3—21.

6) Tib. blätter, pg. 70—75.

offenderunt, prorsus eis tollantur neque quidquam novi, quod offendere possit, poetae assignetur.

Sed extant loci nonnulli qui inde a Scaligeri temporibus utrum recte se habeant an particulis quibusdam carminis transponendis sanandi sint, homines docti disputarunt, neque dum certi quidquam repertum est. Ex quibus paucos quibus Baehrensius nuper traiectionis remedium admovit, iterum recenseamus. Ordiamur a totius libelli Tibulliani carmine primo, quod omnium saepissime viri docti tractaverunt.

I, 1, 1—40.

Post Antonium Vulpium qui vir doctus pristinum carminum Tibullianorum ordinem ab J. J. Scaligero[1]) summa cum licentia turbatum, in integrum restituerat, primus Fridericus Haasius[2]) hanc de qua disputaturi sumus libri primi elegiam versibus transponendis sanandam esse censuit novamque distichorum proposuit collocationem, quam quidem Lucianus Muellerus in editionem suam Tibulli recepit; deinde via semel patefacta viri docti hanc quaestionem certatim aggressi alius aliam versuum transmutationem commendaverunt, velut O. Ribbeckius[3]), A. Prienius[4]), R. Richterus[5]), Aem. Baehrensius[6]), ut iam quam potissimum sententiam probes, dubitare possis. Quamobrem equidem ita hanc disputationem instituam, ut non novam aliquam in medium proferam opinionem, sed ut ea tantum quae in virorum doctorum versuum traiectionibus offendant, quam potero apertissime, explicem.

Cum autem eas quas Haasius Ribbeckiusque proposuerunt transmutationes Richterus eumque secutus Baehrensius[7]) optimo iure adeo reciderint, ut nihil nisi versus alter inde a 25°

1) Cat. Tib. Prop. opera omnia quae extant. Cum variorum virorum commentariis, Parisiis 1604.

2) index lect. aestiv. univers. Vratislav. 1855, pg. 10 sqq.

3) index schol. univ. Kieliens. 1867.

4) Fleckeiseni annal. vol. XVI, 1870, pg. 689 sqq.

5) De Albii Tibulli tribus primis carminibus disputatio, progr. gymnas. Zwickau 1873.

6) Tibullische blätter, pg. 63 sqq.

7) cfr. Tib. blätter pg. 67: Somit erweisen sich die übrigen umsetzungen Haases, ganz abgesehen davon, dass sie auch an sich unmöglich sind, als überflüssig.

usque ad 32^{um}, alter a 25^{0} ad 37^{um} ante versum 7 inserendos censerent, reliquis illorum transpositionibus ut neque necessariis neque opportunis neglectis, de his potissimum nobis erit quaerendum; Prienii sententiam propriam et singularem postea recensebimus.

Ac primum quidem de iuncturis carminis, quae novo versuum ordine extiterunt, videamus. Versum 25 Richterus eumque secutus Baehrensius ab excerptorum Frisingensium lectione: „Iam modo iam possim" profecti sic transformaverunt: „Dummodo iam possim" et per anaphoram quam in delectatione Tibullo fuisse constat, cum versu 6 coniungi voluerunt.

Sed iam vide sis quid hoc in ordine versuum vel maxime displiceat:

5. Me mea paupertas[1]) vita traducat *inerti*,
Dum meus adsiduo luceat igne focus,
25. *Dummodo* iam possim contentus vivere parvo
Nec semper *longae deditus esse viae*,
Sed canis aestivos ortus vitare sub umbra
Arboris ad rivos praetereuntis aquae.

Talis sententia qualem hac epanaphora (dum — dummodo) extitisse videmus, a Tibullo poeta simplicis, dilucidae minimeque tortuosae dicendi rationis amantissimo profecta esse non potest. Quid enim? Prorsus legibus logices repugnat. An tale quid recte dictum putemus: Ego pauper *inertem* degam vitam, dummodo curis vacuus esse possim nec semper longae deditus esse viae? (Mich mag mein bisschen armuth durch ein *thatenloses* leben führen; nur will ich dann auch frei sein von sorgen und nicht beständig auf kriegsmärschen sein müssen?) Minime; potuit dicere Tibullus aut: „Ego pauper inertem vitam degam, dum meo parvo contentus esse possim, id est dum modo securus composito possim famem despicere acervo (v. 77 sq.)", aut: „Me mea paupertas vita traducat, dummodo possim non semper longae viae deditus esse", sed illud dicere non potuit, sese pauperem inertem vitam degere velle, modo belli laboribus liber esset. Una igitur voce „inerti" versus 5 totam sententiam perverti vides; quam cum eicere non liceat, statuendum

1) „Mea paupertas" non id est quod Dissenius et Haasius (pg. 14 dissertationis supra memoratae) intellexerunt, inopia vel egestas, sed parva mea res familiaris, parvum meum, ut nos dicimus: mein bisschen armuth.

est, duas nos habere sententias turpiter conflatas, quales si in libris scriptis essent traditae, omnibus machinis potius dirimere oportebat.

Quae res Baehrensium fefellit, non fefellit Richterum, qui vir doctus interpretatione hoc emendationis suae vitium studuit amovere. „Inertia, inquit, semper aliquid reprehensionis habet, ut ei obiciatur qui alicui negotio exsequendo impar esse videtur (unfähig); cfr. infra v. 58: segnis inersque vocer, v. 71: iners aetas. Itaque iners vita hoc loco eius est qui quod militiam detrectat et divitias bello congestas despicit, nullum inter cives obtinet numerum (ein thaten- und ruhmloses leben). Coniunctivus autem (traducat) non optantis, sed concedentis est totusque locus ita explanari debet: Patiar me propter militiae detrectationem et paupertatem meam sine rerum gestarum laude, sine honore et dignitate vitam degere, dummodo e. q. sq.“ Sic certe optimus evadit sensus: Vitam ingloriam et obscuram degam pauper, dummodo belli laboribus vacuus esse possim. At profecto de rerum gestarum laude, de honore dignitateque bello parta nihil omnino poeta significavit. Quidnam aliud vita illa iners potest intellegi nisi hoc „viae longae non semper deditum esse, sed sub arboris umbra Caniculae aestum vitare“, praesertim cum versus hi praecedant:

Divitias alius fulvo sibi congerat auro
   Et teneat culti iugera multa soli,
Quem labor adsiduus vicino terreat hoste,
   Martia cui somnos classica pulsa fugent,

quibus versibus optime accurateque respondet versus quintus; nam priorem huius partem quae est: „Me mea paupertas“, primo elegiae disticho, posteriorem illam „vita traducat inerti“ secundo oppositam esse apparet, divitiis parvam poetae rem, belli laboribus adsiduis vitam inertem. Qua de causa nemo qui hanc elegiam integro liberoque animo leget, inertem istam vitam ingloriam atque obscuram interpretari poterit, sed otiosam tantum bellique intineribus longis vacuam.

At dixerit quis vocem quae est „possim“ maxime premendam et de Messalae contubernio esse cogitandum. Sed hoc si significari voluisset poeta, non „dummodo possim“, sed „si modo“ scribere necesse fuit; neque per v. 53 sqq. sic interpretari licet. Reiciamus igitur Baehrensii Richterique coniecturam utpote quae minime ad hanc sententiam sit apta.

Emendatio vero ea quam Lucianus Mueller Haasii trans-

mutatione recepta commendavit, illo certe vitio caret. Versu enim vicesimo quinto ita formato: „Iam mihi iam possim contentus“ e. q. sq. duae illae sententiae quae versibus 5 et 26 continentur: „Me mea paupertas vita traducat inerti“ et „Nec possim longae deditus esse viae“, quas particula „dum modo“ inter se non posse conecti supra docuisse mihi videor, recte disiunguntur ita ut altero disticho idem quod priore poeta enuntiaverat, verbis mutatis votum repetatur. Neque quae Baehrensius huic coniecturae obiecit magni facienda videntur; contendit enim vir iste doctus ne sic quidem id quod Mueller in Frisingensium scriptura offenderit, esse sublatum, scilicet quod Tibullus ut sibi liceret contentum vivere parvo, in votis habere non potuisset, quoniam ut hoc ei contingeret, non alterius benevolentia potestasve, sed nihil nisi ipsius poetae arbitrium atque certa voluntas opus fuisset. Sed haec sententia a Baehrensio ipso refellitur, cum suam versus restitutionem, in quam eadem illa quadrare liquet, recte hac interpretatione defendat: dum modo per paupertatem securo vivere mihi liceat („wofern nur meine armuth frei ist von sorgen“)[1]).

Quam obrem Muelleri versus emendationem possumus accipere, nisi aliis prohibeamur rationibus.

Sed iam hos versus missos faciamus et num in reliquis carminis iuncturis hac distichorum traiectione recepta concursus verborum levis atque dilucidus evadat, quaeramus.

Altera elegiae commissura extat ante versum septimum apertissima et pravissima. Quid enim sibi volunt versus illi septimus et octavus quibus poeta rusticum sese futurum profitetur:

Ipse seram teneras maturo tempore vites
R u s t i c u s et facili grandia poma manu,

quid hi sibi volunt, inquam, si iam per octo versus antecedentes rustici opera atque labores sese subiturum dixerat Tibullus? Hocine postremo loco poetam posuisse arbitremur, in-

1) Quod Protzenius pg. 9 libelli sui Muelleri emendationem Tibulliani sermonis simplicitati non satis aptam esse dicit, quoniam dativus ille ethicus qui est „mihi“, nimis exquisitus esset, hoc nihili est. Atque de eiusdem viri docti opinione „parvo contentum esse“ idem valere censentis atque „in otio opibus frui modicis“ ne cogitandum quidem; nunquam enim vocabulum „contentus“ eadem vi qua vox nostra „zufrieden, ungestört“ apud Romanorum scriptores invenitur adhibitum, sed eum solum significat qui aliquid satis habet.

sitioni nunc se operam daturum, (ut Scaligeri verbis utar) quod est honestissimum manus rurantibus, cum iam antea arare se et oves pascere, quod est infimum ruri, professsus esset? Quid porro significare putemus verba illa „Ipse" et „Rusticus"? An dicat quis „rusticus" illud a Tibullo propter inopiam sententiae leve nihilque efficiens vocabulum ad versum complendum tantummodo esse positum?

Certe nemo hoc nobis erit probaturus, omnesque mihi concedent versus eos quibus poeta consilium suum exponit, sese contra atque eum qui per militiam adsiduo terrore excitatus divitias fulvo auro sibi congerat, parvis in opibus rusticis laboribus deditum felicem quietamque vitam velle degere, recte ante illos collocari qui in agricolae negotiis ipsis depingendis versantur. Neque quid „ipse" illud versus septimi sibi velit, id quod Haasius una cum verbo „hic" versus 35 maxime premit suae traiectionis argumentum, tali versuum transmutatione facta satis perspicitur; nam de oppositione ipsius heri servorumque cogitari non potest, si iam antea herus sese bidentem tenere ipsumque boves stimulare professus est. Quam apte autem suo loco, quo libri id exhibent, vocabulum ipse positum sit, infra demonstrabimus.

Praeter haec vitia quibus utriusque viri docti et Richteri et Baehrensii (nec non Haasii Ribbeckiique) distichorum traiectione elegiam primam infici ostendisse mihi videor, hoc etiam contra Baehrensi restitutionem carminis moneam, eiusmodi parentheses qualem versibus 33—36 ille constituit, toto Tibulli libello nusquam inveniri, nisi in carmine V libri II, quod carmen non usque ad umbilicos adductum esse, sed e pluribus quae minime cohaerebant partibus ab amico quodam post mortem poetae male conglutinatum Gruppius [1]) sagacissime et verissime intellexit. [2])

1) Römische elegie. vol. I pg. 77 sqq.

2) Confer etiam quae R. Richter pg. 6 de Haasii transpositione disputavit:

„At vos exiguo pecori, furesque lupique, 33.
Parcite: de magno praeda petenda grege.
Ipse seram teneras maturo tempore vites e. q. sq."

Quid? furum illa et luporum deprecatio quamvis apte conveniat superiori sententiae si progressi sumus ad „Ipse seram etc." — num quid aliud quam inopportuna parenthesis, molesta digressio, quam nisi mente praetermittimus, non habemus quo insequentem sententiam recte annectamus?"

Iam quid de tertia versuum transpositorum commissura iudicandum sit, videamus:

Richtero versus 24^{um} et 33^{um} placuit coniungere:

„Agna cadet vobis (Laribus) quam circum rustica pubes
Clamet: io messes et bona vina date.
At vos exiguo pecori, furesque lupique,
Parcite; de magno est praeda petenda grege."

Sed non est dubium quin ista versuum coniunctio non minus aspera atque importuna sit quam quae in codicibus ipsis extat tralaticia.

De Haasii sententia versus 24 et 35^{um} inter se conectentis recte disseruit Richterus pg. 5 sq., qui vir doctus haec disticha 19—24 et 35 sq. omnibus machinis potius dissecanda quam conflanda censuit.

Restat igitur quam Baehrensius Prieniusque proposuerunt, versuum 23 sq. cum 37 sq. coniunctio. Quae quamquam maxime omnium videtur concinna — nam singulorum deorum cultu enarrato una comprehensione omnes caelites agricolas complectens optime versu 37 sic pergere potuit poeta:

Adsitis, divi, neu vos e paupere mensa
Dona nec e puris spernite fictilibus —

tamen nisi aliae transmutationis causae accedunt, una hac transitione opportuna versus eos de quibus agitur, in libris scriptis alieno loco extare nobis probari nequit, praesertim cum tantas offensiones ex traiectione distichorum viderimus oriri.

Qua de re ne Prieni [1]) quidem sententiae ut assentiamur possumus induci. Hic enim vir doctus a Scaligeri transpositionibus profectus versus 19—24 ante 37 inserendos, versus autem 7 sq. et 33 sq. ut suppositicios eiciendos esse censuit. At in neutro horum distichorum quidquam spurii inesse videtur; versus certe 33 sq. non propter hoc unum reicere possumus, quod inter votum poetae quod v. 25 contineatur (Possim contentus vivere parvo) et causam voti, quam v. 35 sq. exponi ait vir doctus (Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis etc.) illi sint inopportuni; quam vero ob rem eosdem versus totius carminis sententiae primariae (versibus 25—28) repugnare censeat ille, intellegere nequeo; immo optime curam eam quam in parvo suo grege poeta consumere sese ostendit (v. 29—32), illustrari illis videmus. — Neque versibus 7 sq.,

1) Fleckeiseni ann. vol. XVI, 1870, pg. 689 sqq.

id quod Prienius contendit, aequalitatem atque concinnitatem orationis turbari aut denique toti carmini eos non congruere mihi possum persuadere; transitio vero a versu 18 ad 25 sq. non facilior, a versu 32 ad 35 sq. etiam asperior evadit quam si pristinum elegiae ordinem retinemus.

Cum igitur ut opinor traiectiones distichorum, quas viri docti recipiendas commendaverunt, non sint eae quibus carmen in integrum restitutum credere possimus, — novae enim et inconcinnae transitionis asperitates existere vidimus — consideremus iam, quas causas illi attulerint, cur versuum transpositione opus esse conserent.

Qua in re ea maxime videntur animo tenenda quae Lucianus Mueller de crisi Propertiana[1]) monuit, ut in omnibus carminibus, ita maxime in elegiacis amare aliquando interrumpi sententias digressionibus nec fere recta via, sed quasi per salebras incedere; quare falli eos qui in elegiarum poetis omnia ad severissimas ratiocinationis logicae normas moroso ingenio exigerent.

Offendunt autem viri docti cum in eo quod inter versus 11—24 et 37 sq., quibus partim religiosus deorum cultus exponatur, partim caelites agricolae ad pauperem mensam invocentur, prave inculcati sint versus 25 sq. qui ad plane diversum sententiarum genus pertineant,[2]) tum in eo quod distichon quartum:

Ipse seram teneras maturo tempore vites
    Rusticus et facili grandia poma manu

a versibus illis qui in vitae genere describendo versentur, minus recte disiunctum videatur.

At ipsum illud distichon non modo non inconcinnum, sed etiam necessarium esse illo loco existimo. Quid enim enuntiavit poeta versibus antecedentibus? Nihil nisi hoc, nolle se militis labores subire, ut postea partis divitiis frui multaque culti soli iugera possit tenere, sed vitam inertem, id est militia remotam sese degere velle, dummodo parvum illud quod sibi sit praesto, ad securitatem vitae sufficiat. Nunc vero versibus 7 sq. aperte rusticum sese futurum profitetur ac quidem praecipuam et honestissimam rusticantium occupationem, insitionem ipsum sibi sumpsisse ostendit; deinde quod parvum suum sibi satis fore speret, pluribus exponit. Vide sis distichis quarto et

---

1) edit. Propert. praef. pg. XIV.

2) cfr. Baehrensi Tib. blätter pg. 66.

quinto opportunissimam versuum 5 sq. contineri explicationem; illo enim quod vitae inertis genus versu quinto intellexerit, demonstrat, hoc sententiam versus sexti (Dum meus adsiduo luceat igne focus) tenui filo deducit. Tum religionem suam utpote qua spes sua nitatur, pietatemque ergo deos agricolas describit, quorum seriem ipsis praedioli pauperis patronis, Laribus memoratis concludit. Olim vitula, inquit, caesa lustravimus gregem innumerabilem, nunc agna solum vobis immolatur, sed hanc summa voluntate dedicamus. Observa sis, quomodo uno tantum verbo sententiarum hic fiat coniunctio: a pauperis patrimonii mentione fortuita ad hanc agnae pervenit immolationem. Deinde optime quae est ars eius non fluvii similis continuo itinere celeriter decurrentis, sed lacus tranquilli cuius ripae iterum iterumque isdem alluuntur undis, optime inquam postquam religionem pietatemque suam enarravit, voti illius quod versu sexto fecit, unde tota deorum cultus descriptio profecta est, reminisci videtur (vers. 25 sq.): Iam modo iam possim contentus vivere parvo Nec semper longae deditus esse viae. Atque qui nunc sequuntur, versibus chordam illam quam versu 5 sq. leviter attigit, iam paullulum fortius impellit et nobis quali vitae rusticae suavitate alliciatur ostendit. Sed statim ne curas quidem agricolae laboresque per intermissas rusticantis voluptates sese refutare profitetur; nam opus est rastro et aratro colere agellum, opus est parvum tutari pecus. Atque desertam agnam in sinu referet poeta, neque lupi furesque quidquam arripient, cum ipse pastorem quotannis lustrare Palemque lacte aspergere soleat.

Itaque postquam explicavit, cur per totam vitam nullas belli labores perpessum parvo suo patrimonio se contentum esse posse speraret — cum et agros coleret et veneraretur deos — nihil ei reliquum est nisi ut deos invocet ne dona sua religiose proposita aspernentur. Tum iterum satis magna sibi segete ostensa ad dulcedinem et amoenitatem vitae quam a curis illis negotiisque rusticis et a deorum gratia sibi sperat, transit describendam. Nunc denique otium rusticum non modo adumbrat, sed omni pigmentorum flore et colore exornat (vers. 41 sqq.)

Nihil igitur quod in carmine hoc offendamus, habere videmur, nisi quod initium versus 35: Hic ego pastoremque meum e. q. sq. plane est importunum, cum quo loco Tibullus pastores gregemque lustratos significare voluerit, non facile intellegatur. Quod vitium non sicuti Haasius censuit, versuum

transpositione tollendum, sed emendatione vocis quae est „hic“, corrigendum potius, R. Richter pg. 6 optime demonstravit. Sed quam ipse vir doctus proposuit coniecturam, quaeque mihi quoque primum in mentem occurrerat: Hoc ego pastorem e. q. sq. ad germanam poetae sententiam restituendam sufficere iam non existimo. Acrius paullo remedium adhibendum videtur, velut initii illius solemnis: „Ipse ego“ (cfr. I, 3, 15; I, 5, 15, al.) restitutio. Quod si receperimus, et opponetur herus pastori qui alias lustrare oves solebat.[1]) et preces quibus fures luposque avertere conatur, graviores atque impensiores existent, cum magis eluceat, quantae curae parvum pecus sit poetae.

I, 4, 15.

De libri primi carmine quarto recte disputasse arbitror Baehrensium, cum pag. 72 libelli qui inscribitur „Tib. blätter“, haec contenderet: Die partikel „Sed“ in v. 15 ist allerdings ganz ungehörig, wie jetzt wohl allgemein zugegeben wird; denn Groth's[2]) auskunftsmittel, nach „Sed“ einen gedankenstrich zu setzen, ist eines von denen, die keiner ernstlichen widerlegung bedürfen. Wenn aber v. 39—56 sich trefflich an v. 15—20 und 27—38 anschliessen, und der darin entwickelte gedankengang als ein natürlicher bezeichnet werden kann, dann wird sich die frage aufwerfen lassen, ob nicht in „Sed“ v. 15 ein fehler steckt. Und vielleicht gelingt es, auf dem wege der wortconiectur eine erträgliche verbindung mit dem vorhergehenden zu erzielen. — Quamquam paullo audacius versum illum vir doctus transformasse videtur:

Sera haec; ne pariat (capias?) primo si forte negabit,
Taedia: paulatim sub iuga colla dabit.

Fortasse leviore immutatione versus ita potest refici: Sin — ne te capiant, primo e. q. sq., quacum coniectura conferas carm. Priap. 31:

„Donec proterva nil mihi manu carpes,
Licebit ipsa sis pudicior Vesta;
Sin — haec mei te ventris arma laxabunt,
Exire ut ipsa de tuo queas cunno.“

---

1) cfr. Ovid. fast. lib. IV, 735.

2) Quaest. Tib., dissert. inaug. Halens. 1872, pg. 31.

I, 4, 44.

Versum I, 4, 44, quem supra pg. 32 obiter tractavimus, optime restituit Ritschelius in actis societ. litter. saxon. a. 1866, pg. 69:

„Quamvis praetexens picea ferrugine caelum
Venturam admittat nimbifer Eurus aquam"

eumque Lucianus Mueller in editione Tibulli secutus est. Aliam atque eam paullo audaciorem coniecturam proposuit Baehrensius in libello a. 1876 Jenae emisso, cui incribitur Tibullische blätter, p. 87 sq.:

„Venturam indicat nubifer ortus aquam",

quam coniecturam nulli eum probaturum esse puto, praesertim cum illam a Ritschelio propositam nullis rationibus potuerit refellere. Quod enim censet verbum admittendi ad ruentem solum imbrem quadrare, id quidem recte (cfr. Ovid. met. XI, 256 et 512, am. III, 6, 86 et I, 8, 50); hoc vero fallitur vir doctus, quod „venturam aquam admitti" dici posse negat. Quin vere graphice poeticeque dictum hoc videtur; quid enim? fingit poeta imbrem coortum ad tempus quidem procul abesse, sed iam iam vento admissum, id est incitatum adventare.

I, 6, 16.

Versum I, 6, 16 Baehrensius pg. 76 sq. ita restitui iussit: „Te quoque servato, peccet e. q. sq. d. i. nicht allein dein weib, sondern auch dich selbst bewache und behüte, damit nicht ihre und ihrer liebhaber listen dich hintergehen." Quam coniecturam addit non modo non refelli, sed etiam firmari versu illo Ovidiano trist. II, 457 sq.:

Denique ab incauto nimium petit ille marito,
Se quoque uti servet, peccet ut illa minus.

Namque si illud „se" ad Tibullum pertineret, verba „nimium petit" prorsus non posse intellegi; sin autem maritum designari putemus, habere nos lepidissimam stulti securique hominis ludificationem. At talis ludificatio ab illo loco plane aliena mihi videtur. Nam quid vellet sibi in lascivia Tibulli enarranda illud: Denique a marito petit, ut ipse servet ne puella quid peccare possit? Inopportuna, ut opinor, esset parenthesis. Sed hoc optime in totam loci Ovidiani sententiam quadrat, quod Tibullus ipse sese servandum esse, se quo-

que uxori illius insidiari confitetur. Atque vox quae est „nimium", non cum verbo „petit", sed cum adiectivo „incauto" coniungenda est (cfr. Ovid. am. II, 19, 3). Ceterum quem ad modum totum carmen restitui debeat, nondum liquere arbitror.

I, 9, 39—44.

Elegiae nonae versus 39—44 ut loco suo alienos Baehrensius pg. 80—85 in eleg. VIII, post vers. 26 inculcandos esse consuit. At repugnat, ut opinor, huic sententiae initium carminis octavi, quo diutius se celari de amore Marathi non posse Tibullus autumat. Qui tale quid potuit enuntiare, si puerum iam ipse domum amicae deduxisset? Omnino si carmina octavum et nonum eodem quo in libris exarata sunt, ordine a Tibullo composita putamus,[1]) omnia optime consentiunt atque versibus VIII, 70 sqq, ad elegiam quartam, versibus IX, 39 sqq. ad octavam concinne revocat poeta.

III, 1, 8.

In libri tertii eleg. I, 8 lectio librorum „meis" cum Mureto in „tuis" mutanda, versu 12 autem scriptura „tuum" retinenda totaque sententia inde a v. 7 ad 14 Musarum responso assignanda videtur.

---

1) id quod nulla re refelli video.